AUTHOR:

BRAUN, REINHOLD

TITLE:

DE DUABUS ADVERSUS

PLACE:

GRYPHISWALDIAE

DATE:

1873

Master Negative #

91-80180-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Braun, Reinhold, 1849-
De dvabvs adversvs Aristogitonem orationibvs qvas Demosthenes scripsisse fertvr. Dissertatio inavgvralis philologica qvam scripsit et ... pvblice defendet avctor Reinholdvs Bravn ... Gryphiswaldiae, typis F. Hache, 1873.
50 p. 20 cm.

Thesis, Greifswald, 1873.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 MM REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA ~~IIA~~ IB IIB
DATE FILMED: 8/14/19 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE DVABVS ADVERSVS ARISTOGITONEM ORATIONIBVS QVAS DEMOSTHENES SCRIPSISSE FERTVR.

DISSERTATIO
INAVGVRALIS PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE
IN
VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI
AD
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XVIII. MENSIS IVLII ANNI MDCCCLXXIII
H. XII
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
REINHOLDVS BRAVN
SILESIVS.

ADVERSARII ERVNT:
F. HEYSE, CAND. PHILOL.
K. W. MOELLER, STVD. PHILOL.
P. v. BOLTENSTERN, STVD. PHILOL.

GRYPHISWALDIAE MDCCCLXXIII.
TYPIS FRIDERICI HACHE.

RVDOLFO SCHOELL

S.

Ex quo studia mea coepi in oratoribus Atticis pertractandis collocare, cum multa alia mihi occurrerunt, quae accuratiore quam quod adhuc adepta sunt examine digna viderentur, tum duae in Aristogitonem orationes, quas inter Demosthenicas traditas habemus. Quamquam enim neutram earum revera ab ipso Demosthene esse profectam et veterum quidam *) et recentiorum paene omnes **) recte censuerunt nuperque inprimis Westermannus ***) et A. Schaeferus †) accuratius demonstraverunt, tamen cum complura mihi videor invenisse, quae argumentis eorum adiciam eaque, si recte iudico, non contemnenda, tum vero utramque orationem non solum, qua de re omnes consentiunt, iam ante Callimachi

---

*) velut Dionys. Halic. de admir. vi dic. Dem. c. 57 p. 1126, 11 al. ap. Liban. in argum. prioris orat. p. 769 fin. et Phot. cod. 265. p. 491, 20.

**) Primus hoc iudicium fecit Casaubonus in comment. ad Theophr. Char. p. 81. 90. Secuti sunt Clintonus fast. hellen. p. 368. Boeckhius „der Staatshaushalt d. Ath.“ t. I, p. 37 et „Urkunden des att. Seewesens“ p. 537. Schoemannus „Attisch. Prozess“ p. 660, alii.

***) Quaestt. Demosth. p. III, de litibus etc. p. 65 sqq.

†) „Demosthenes und seine Zeit.“ t. III, append. p. 113 sqq.

tempora extitisse,*) verum etiam vix e rhetorum scholis, quae multorum sententia est,**) originem traxisse, sed reapse in iudicio a duobus Demosthenis aequalibus habitas esse vel certe haberi potuisse satis probari posse arbitror.

Caput I.
De utriusque orationis dictione et compositione.

Notus est ille locus Dionysii Halicarnassensis, quo Demosthenes cum Proteo comparatur (*περὶ τ. Δημοσθ. δεινότ.* p. 974.) Sicut enim ille formam suam facile mutare potuisset, ita etiam Demosthenem variis identidem formis indutum modo hac modo illa dicendi ratione usum fuisse. cf. A. Schaefer l. l. tom. I p. 312 sqq. Quae similitudo quamquam apte et acute inventa est, tamen cavendum esse censeo, ne ea quoque, quae plane a Demosthenis arte et ingenio abhorrent, ei tribuantur. Et abhorret ab eo prior ex duabus orationibus: non quo omnino careat vi et gravitate Demosthenis, sed simplicitatem desidero et sinceritatem, quam ille, etiamsi varius sit, semper servat. In hac enim deprehendimus haud raro verborum insolentiam et tumorem: in illo nihil quaesitum et longius arcessitum, nihil eiusmodi invenias, quod non unusquisque laudet. Qui orationis auctori placent iuvenique perplacuerunt Isocrati *„λόγοι πολλῶν μὲν ἐνθυμημάτων γέμοντες, οὐκ ὀλίγων δ'ἀντιθέσεων καὶ παρισώσεων*

*) Constat enim orationum Demosthenicarum corpus quod nos habemus ad Callimachi *πίνακα τῶν ῥητορικῶν* referendum esse. cf. H. Sauppii epist. crit. ad God. Hermannum p. 49.

**) Inter quos sunt Westermannus, Schaeferus, alii.

καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν (Panath. § 2) in Demosthenis orationibus haud frequenter extant; volubiliter usque et polite sermo currit. Qui quidem etsi conspersus est quasi verborum imaginumque floribus, hi tamen non aequabiliter, sicut in hac priore Aristogitonia, per totam orationem fusi sunt, sed ita distincti „ut sint quasi in ornatu disposita quaedam lumina et faces dicendi." In quibus similitudinibus haec tota oratio se iactat, ut flosculi potius quam flores sermonis sint, iis quam raro Demosthenes usus sit, profecto in legendo miraberis. Procul ille abest a copia sententiarum, quae philosophorum modo ab huius orationis auctore verbis insertae sunt*), procul ab omnibus ambagibus, quibus alter nonnunquam turget.

Accedunt alia a Demosthenis natura ingenioque aliena. Nam quamquam constat summa illum religione et pietate erga deos fuisse eosque frequenter celebrasse, tamen nullam orationem eius habemus, in qua tot tamque varia numina invocantur, atque in hac contra Aristogitonem habita. Quis unquam audivit Demosthenem obtestatum *Ἀδράστειαν, Εὐνομίαν, Δίκην*, nescio quas alias deas? cf. §§. 10 sq. 35. 37. 52 sq. Quis apud eum legit adeo cumulatas summi dei obsecrationes, quales insunt in orationis §§. 77—79?

In multis conviciis quibus orator reum vexat iam Taylorus offendit. „Dum, inquit, Aristogitonis mores in-

*) cf. §§. 15 sqq. (schol. *περὶ ἀπονοίας*) 87 sqq. 11. 68. (schol. *περὶ ἀναιδοῦς.*) 75.

sectatur, hominem increpat, non percellit, ut semper solet noster" (sc. Demosthenes.) alioque loco „per totam fere orationem convicium acre, *ἀπόδειξις* nulla." Concedo ne Demosthenem quidem, cum cives de rebus publice gestis accusaret, continere se potuisse quin in privatam simul et domesticam eorum vitam inveheretur. cf. or. de cor. 129 sq. 258 sqq. Verum tantam accusandi libidinem, quantam in hac oratione deprehendimus, haud facile apud illum invenias.*) Atque id proprium fuisse oratoris ex eius ipsius verbis apparet: „*δότε*, inquit, *καὶ συγχωρήσατέ μοι πρὸς Διός, ὥς πέφυκα καὶ προῄρημαι, περὶ τούτων διαλεχθῆναι πρὸς ὑμᾶς· καὶ γὰρ οὐδ' ἂν ἄλλως δυναίμην.* § 14. Quo testimonio illud plane refutari mihi videtur, quod Schmidtius (excurs. ad Dinarch. p. 117), cum Demostheni orationem tribuat, ridicule opinatur „non minus oratorum, quam poetarum principi licuisse interdum dormitare." Sed ne immodice hanc disputationem producam, liceat mihi ad singulas res me convertere.

Omnis oratio cum composita sit ex verbis, haec primum nobis videnda sunt eo quidem consilio, ut quaecunque a Demosthene aliena sint, deinceps commemoremus. Qua in re caveas, ne nimis temere iudicium tibi fingas. Multa enim tibi occurrent verba, quae cum ad res proprias et semel commemoratas pertineant, omnino non notanda sint. Talia sunt §§ 9 *πρόγραμμα* cf. Lobeck ad Phryn. p. 249; 23 et 28 *κιγκλίς*. 38 *σκυλόδεψος*. 49 *ἐπιστάται*

*) cf. Dem. de coron. § 126. *δεῖ δέ με, ὡς ἔοικε, καίπερ οὐ φιλολοίδορον ὄντα, διὰ τὰς ὑπὸ τούτου βλασφημίας εἰρημένας ἀντὶ πολλῶν καὶ ψευδῶν αὐτὰ τἀναγκαιόταθ' εἰπεῖν περὶ αὐτοῦ.*

τῶν κοπρώνων. 52 *σκορπίος*. ibid. *κέντρον*. 57 *πωλητήριον*. 61 *κιβώτιον*. 76 *φάραγξ*. 90 *κώδων*. 96 *ἔχις* et *φαλάγγιον*. Quae si omittuntur, tamen tantus numerus verborum a Demosthenico sermonis usu alienorum restat, ut iure de Demosthene orationis auctore dubitari possit. Ex quibus multa et gravissima iam veteres grammatici, inprimis Hermogenes *περὶ ἰδ.* I, 6 pp. 221 sq. 228 sq. 231 Sp.; 8 p. 240 II, 10 p. 367 et Aristides rhetor I, pp. 346. 348. 357 sq. 378. 385 sqq. etc. notaverunt, multa etiam Plinius in epist. lib. IX, 26 propter vim et audaciam laudavit. Jam vero singula videamus:

§ 1. *ὑπερδιατείνεσθαι*, ultra modum contendere. Luciano usitatum. Dem. modo simplicem formam *διατείνεσθαι* adhibet cf. de coron. § 142. Leptin. § 143.

§ 7. *παιδοτριβεῖν*, edocere. Hoc loco excepto ante Plutarchum non legitur. Saepius substantivum *παιδοτρίβης* invenias cf. Antiph. 3 *γ*. 6; *δ*. 4. Arist. equit. 1238. nub. 973. Aesch. in Timarch. § 35.

§ 9. *εὐκοσμία*, disciplina. cf. Isocr. VII, 37. Aesch. de FL. § 6.

§ 13. *προχειρίζεσθαι*, hoc loco et apud Isocr. VIII, 122. eligendi notionem habet. Apud Dem. semper „aliquid sibi paratum facere" interpreteris cf. or. Phil. I, 19.

§ 19 et 26. *παρανομία*, legum violatio, cf. or. in Aristog. II, 25. Isocr. VII, 20.

§ 20. *ἕνος*, „vocabulum obsoletum et paene rituale, pro *παλαιός*." Reisk. ind. graec. p. 211. Hyper. frg. 197 *ἕνη καὶ νέα*. cf. Buttmann. excurs. VI ad Dem. or. in Mid. Apud Aristot. Pol. VI, 8 p. 1322a, 12 Scaliger recte *ἕνων* ex *νέων* restituit.

ibid. ὑπεξιέναι τινί, cedere alicui. Herod. IV, 120. VII, 211. 223.

ibid. περιττός, admirabilis. Tragg. Plat. Pseud.-Dem. Erot. §. 2.

§ 23. ἐκποδών. cf. §. 33. Extat in orat. in Phaen § 2 et epist. III, p. 1474: sed neque hanc neque illam Demosthenis esse constat.

§ 24. εὐταξία, moderatio. Pseudo-Plat. Alcib. I, 122 C. cf. Def. p. 411 D. E. 412 B. D.

§ 28. ἀποσχοινίζειν, excludere interposito septo, non inveni nisi apud Plutarchum cf. §. 23 περισχοινίζεσθαι, de quo v. Poll. VIII, 123. 141.

§ 31. εὐτύχημα. Xen. symp. 4, 54. Plat. legg. V p. 736 C.

§ 32. ἐκ τοῦ παραδόξου, praeter opinionem. Verbum quamquam apud Hyper. IV, 31. 1 et Psd.-Dem. epitaph. § 16 occurrit, tamen ita cum praepositione coniunctum non ante Plutarchum legas.

ibid. ἀνάμεστος, cf. Ar. nub. 984 et Eupol. ap. schol. Ar. Pac. 790.

§ 39. ἀνεξέλεγκτος hoc loco significat: omni crimine vacuus, idem ap. Xen. cyn. 13. 7. Apud alios „nullo argumento probatus.“ cf. Thuc. I, 21. IV, 126.

§ 40. ποδαπός pro ποῖος dictum. Locus ita comparatus est, ut orator ex ambiguitate significationis lusum captasse videatur. cf. Lobeck ad Phryn. p. 59, qui ita statuit „iam ante occasum Graeciae a genuina significatione vocabulum deflexisse, auctoribus paucis et ignobilibus. Increbruisse autem vitium cum ceteris aevi Macedonici corruptelis.“

§ 41. διαβαπτίζεσθαι, idem quod διαλοιδορεῖσθαι, si lexicis fidem habere licet: verbum de lavantibus ductum, quorum alii alios per iocum et risus gratia situlis aquae mutuo in ora ingestis perfundunt. cf. Reisk. ind. gr. p. 477. et G. H. Schaefer. app. crit. IV, p. 335 sq.

§ 42. στασιώδης καὶ ταραχώδης, seditiosus et turbulentus. Hanc vocem invenis apud Xen. mem. II, 6, 4; illam apud Isocr. IV, 48. Thuc. alios.

§ 43. παρακινδυνευτικός, audax. cf. Plat. Soph p. 242. B. rep. VI. p. 497. E.

§ 46. ἀκονᾶν, cuius de significatione vid. Schaefer. appar. IV, 340. cf. Psd.-Dem. ep. II, p. 1469.

§ 47. ἀνασείειν, incutere, pro ἀπειλεῖν cf. Ar. Ach. 347.

§ 48. μοσχεύειν „tenellos stipites ad iustam proceritatem educare.“ Reisk. Vox saepiususurpata est a Theophrasto. cf. de caus. plant. I, 2, 1. III, 5, 1 etc.

§ 50. σπαράττειν, conviciando lacerare. cf. Plat. rep. I, p. 539 B. Ar. Ran. 641.

§ 52. προσφοιτᾶν, frequenter accedere. cf. Lys. 23, 3. 24, 20.

ibid. ἀνίδρυτος Harpocr. et Suid. explicant per ἀνεξίλαστος, male quidem, ut Reiskius primus vidit. ἀνίδρυτος est, cui nullae sunt certae fortunarum sedes. cf. Ar. Lysistr. 809. De discrimine scripturae ἀνίδρυτος et ἀΐδρυτος cf. Lobeck ad Phryn. p. 730.

ib. ἄσπειστος, immitis; praeter hunc locum non legitur nisi apud Plut. mor. p. 537 B. Significat idem quod ἄσπονδος cf. Dem. de coron. §. 262.

§ 53. ἵλεως Hom. Tragg. Xen. Cyr. I, 6, 2. Din. III, 19 θεῶν ἵλεων ὄντων. saepissime apud Plat.

§ 54. ἐνάμιλλος cf. Plat. rep. IV p. 433 D. Isocr. V, 68. apud Dem. legitur ἐφάμιλλος cf. 18, 320; 20, 102.

§ 57. ῥαπίζειν, colaphis caedere, ut Reiskius vertit. cf. Hyper. fr. 113. Anacr. fr. 163 Bgk.

§ 61. πρὸς κατεγγύην „vadimonii causa“ i. e. quia vadem iudicio sistendi causa dare non poterat.“ Sic enim recte mihi Meierus locum interpretatus esse videtur. cf. de bon. damn. p. 29. κατεγγύη nullo alio loco legitur. κατεγγυᾶν apud Pseudo-Dem. in Neaer. § 40.

ib. ταριχεύειν, macerare. cf. Xen. Anab. V, 4, 28. Herod. II, 7, 7. τάριχος apud Psd.-Dem. in Lacr. § 34. Hyp. fr. 214.

ib. νεαλὴς καὶ πρόσφατος, integer atque recens. Hanc vocem Xen. Plat. alii usurpant, illam etiam Dem. semel habet in Mid. § 112. Locus ab Harp. s. v. νεαλής citatur.

ib. ἐρευνᾶν quaerere. cf. Antiph. V, 29.

§ 57. αὐτοχειρίᾳ pro αὐτόχειρ apud Dem. usitato. cf. Xen. Hell. VI, 4, 35. neque aliter αὐτοχειρίῃ apud Herod. I, 140. III, 13.

§ 66. ὑπόλογον ποιεῖσθαί τινος idem quod ὑπολογίζεσθαι cf. Din. I, 14. III, 17.

§ 67. δακτυλοδεικτεῖν, digito monstrare. Apud Atticos haud facile quisquam inveniat. cf. Lobeck ad Phryn. p. 622. Apud Aeschylum Ag. 1333, adiectivum eiusdem stirpis δακτυλόδεικτος legitur.

§ 73. ἀντεγγράφειν, loco expuncti e tabulis aerarii alium inscribere. Habet Cassius Dio.

§ 76. βάσιμος, ad quem accessus est. Diod. Sic. 13, 27. βάσιμος τόπος εἰς παιδείαν.

ib. ἀπόκρημνος, praeceps. Idem apud Herod. Thucyd. Xen.

§ 79. δίδυμος, geminus; δίδυμος ἀδελφός, quod h. l. legitur, apud Demosthenem non invenimus.

§ 80. μαγγανεύειν, fucum facere; semel etiam apud Ar. Plut. 310.

ib. οἰωνίζεσθαι „hominem occurrentem sibi velut infaustum devitare.“ Alii scriptores translata vocis significatione non utuntur. cf. Xen. Cyr. I, 6, 1. Hell. I, 4, 11. Apud Dinarchum μετοιωνίζεσθαι invenies similiter usurpatum. cf. I, 30. 92.

§ 83. ψῆφον διαφέρειν, suffragium ferre, pro ψ. φέρειν vel τιθέναι. cf. Aesch. III, 198. Herod. IV, 138.

§ 84. μιαιφονία, „sanguinaria mens.“ Similiter Plut. Diod. Luc.

§ 87. τίμημα eodem sensu dictum quo postea τίμημα χρημάτων § 92. Quae quidem significatio Schoemanno teste (*attischer Process* p. 176.) hoc solo loco invenitur.

§ 89. συγγενικῶς, cognatorum instar. cf. Aristot. eth. Nic. 8, 14 et Bonitz ind. Aristot. 707, b. 28 sqq.

§ 90. μεταρρίπτειν, pervertere. cf. Simon. fr. 43 Bgk.

ibid. ἀψοφητί, sine strepitu. cf. Plat. Theaet. p. 144 B. Plut. Luc.

ib. ἐξάπτεσθαι, sibi induere. Apud Dem. neque medium neque activum huius verbi in usu est. Medium legitur apud Ar. Thesm. 428. Eurip. Plat. alios.

§ 93. ἐξάγιστος, execrabilis. Aesch. Ctes. § 113.

§ 94. **κακολογεῖν**, maledicere. cf. Hyp. fr. 30.

ib. tribus locis **νουθετεῖν**. Plat. Psd.-Dem. prooem. 46. passivum habet Isocr. XI, 3.

§ 95. **ἐξορίζειν**, exterminare cf. Plat. conv. p. 197. D.

§ 97. **συνεργεῖν τινι**, adiuvare. Aesch. Ctes. § 7. substantivum **συνεργός** saepius apud Dem. occurrit, **συνεργία** apud Dinarch. I, 111.

§ 98 **φυσιογνωμονεῖν**, „oculis scrutari.“ Apud Demosthenis aequales invenire non potui. **φυσιογνωμονικός** autem titulus iam erat operis Antisthenis. cf. Athen. XIV, 656. F. Diog. Laert. VI, 15.

§ 101. **κακοπραγμοσύνη**, improbitas. Non inveni nisi apud Polybium; contra **κακοπράγμων** iam a Xen. Hell. V, 2, 26 itemque ab Hyper. fr. 275 adhibitum est.

ib. **εὐφημεῖν**, bene precari. Xen. conviv. IV, 49. cf. *εὐφημία* in huius orationis § 26 et apud Din. II, 14.

Ad haec nonnulla verba accedunt, quae semel bisve aut in Demosthenis orationibus leguntur aut in aequalium iis, quae ipsius nomine feruntur, velut: *ῥαψῳδεῖν* (§ 2.) cf. or. 14, 12. *ἰταμός* (§ 24.) cf. or. 8, 68 *ἰταμῶς* et or. 19, 233 *ἰταμώτερον*. *σοφίσματα* (§ 18.) cf. or. 35, 2 et 22. Psd.-Dem. ep. V, p. 1490. or. 55, 31. *πονήρευμα* (§ 60.) cf. or. 19, 257. *προπετῶς* (§ 47.) cf. or. 44, 29 et 59, 33; *ἀπόνοια* (§ 32. 33.) cf. or. 26, 19; 18, 249; *ἀχαριστία* (§ 35.) cf. or. 18, 249.

Plurima ex eis verbis quae supra attuli ab Atticis scriptoribus et oratoribus dicta esse vidisti. Pauca admodum non inveniuntur nisi apud posteriores; sed quaecunque eorum ratio est, id ex magno discrimine, quod

est inter Demosthenis huiusque oratoris verborum usum, apparet illum orationis auctorem esse non posse.

Jam sequitur, ut ostendam, quomodo orator verbis ad illustrandam atque exornandam orationem usus sit. Ac primum quidem de singulorum verborum translatione, quam Graeci *μεταφοράν* dicunt, disseram; quae si modice et verecunde adhibetur, orationi splendoris aliquid addit, si minus, duram eam facit atque tumidam.*) Jam utram rationem auctor observaverit, cum singula contulero, facile intellegetur.

Frequentissimae in oratione eae sunt translationes quarum notio primaria, cum usu obliterata sit, vixdum intellegatur; quales sunt §§ 1 *ὑπερδιατείνεσθαι* sc. *τὸν λόγον*. 2 *ῥαψῳδεῖν*. 5 *ὑπερβολὴ τῆς πονηρίας*, quocum cf. § 54; 10 *ἐπανορθώσασθαι* sc. malos calumniatorum mores. 14 *ἐπὶ ταῦτα πορεύσομαι*. 16 *νόμος ἐστὶν ἐπανόρθωμα τῶν ἁμαρτημάτων*. 17 *τοῖς δικαίοις ἑάλωκεν* 20 *ἡ πολιτεία οἴχεται*. 24 *ἡ εὐταξία τῇ τῶν νόμων προσθήκῃ τῶν αἰσχρῶν περίεστιν*. 29 *ἀφορίσας*. ibid. *καταλύειν τὸν δῆμον*. 32 *ἄνθρωπος ἔχθρας ἀνάμεστος*. 33 *τίς ἂν — ἑαυτὸν τῇ ἀπονοίᾳ συνάψειεν;* 36 *τὴν ὀρθὴν ὁδὸν τῆς ἀπολογίας φεύξεται, ἔξωθεν δὲ κύκλῳ περίεισι λοιδορούμενος*. 38 *παρακρούσασθαι καὶ φενακίζειν*. 41 *προπετῶς ἅπασι προσκρούων*. 43 *ἅπτεσθαι τοῦ λόγου*. 47 *πάντ' ἄνω τε καὶ κάτω ποιῶν*. 50 *χειροτονίαν προπηλακίζων*. ib. *τὰς κληρωτὰς ἀρχὰς σπαράττων*. 54 *τὰ λοιπὰ ἐνάμιλλα*

---

*) Demetr. *π. ἑρμην.* 78. Sp. III, 280. *πρῶτα μὲν οὖν μεταφοραῖς χρηστέον· αὗται γὰρ μάλιστα καὶ ἡδονὴν συμβάλλονται τοῖς λόγοις καὶ μέγεθος· μὴ μέντοι πυκναῖς, ἐπεί τοι διθύραμβον ἀντὶ λόγου γράψομεν.*

τούτοις. 70 *τὰ κοινὰ δίκαια ἀφανίζειν.* 77 *καταφεύξεται ἐς τὸν βίον.* 80 *μαγγανεύειν καὶ φανακίζειν.* 86 *εἰς τὴν ὁμοίαν τάξιν αὐτῷ ἄγει.* 95 *ὁ δῆμος νουθετεῖ τοὺς ἐνοχλοῦντας ἑαυτὸν θορύβοις.* 97 *φθόνον ἀσκοῦντες.* Multo audacior orator in transferendis verbis his fuit §§. 7 *τὸν ἀεὶ βουλόμενον εἶναι πονηρὸν παιδοτριβεῖν.* 10 *ὁδῷ βαδίζει* sc. *ἡ πονηρία.* 11 *ταύτην τὴν ἡμέραν παρακαταθήκην ἔνορκον εἰληφώς.* 19 *τῶν νόμων κόσμος συνταράττεται.* 24 *ἰταμὸν γὰρ ἡ πονηρία.* 25 *λέλυται πάντα, ἀνέῳκται, συγκέχυται.* 41 *ἐπίστανται τούτῳ διαβαπτίζεσθαι.* 42 *ἐμοὶ δοκεῖ ἡ πόλις ἀφ' οὗ πάλιν δημηγορεῖ, πολιορκεῖσθαι.* ib. *λόγοι στασιώδεις καὶ ταραχώδεις.* 46 *τί τοῦτον ἀκονᾷς;* 47 *εἰσαγγελίαν ἀνασείσας.* 52 *ἄσπειστος, ἀνίδρυτος, ἄμικτος* sc. *ἐστὶν Ἀριστογείτων.* 57 *ὡς πολὺς παρ' ἡμῖν ἔπνει καὶ λαμπρός.* 80 *ὧν ἐπίληπτος πάσῃ πονηρίᾳ.* ib. *ὃν οἰωνίσαιτ' ἄν τις — ἰδών.* 82 *ταῦτα γεωργεῖ, ταῦτα ἐργάζεται.* Quibus absolutis ad *ἀλληγορίαν*, i. e. ad id genus translationum transimus, quod „non est in uno verbo translato, sed ex pluribus continuatis conectitur." (Cic. d. orat. III, 166.) Quas omnes cum longum sit hoc loco componere, nonnullas easque gravissimas protulisse satis habeo: §§. 52 *πορεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς ὥσπερ ἔχις ἢ σκορπίος ἠρκὼς τὸ κέντρον, ᾄττων δεῦρο κἀκεῖσε, σκοπῶν τίνι συμφορὰν ἢ βλασφημίαν ἢ κακόν τι προστριψάμενος καὶ καταστήσας εἰς φόβον ἀργύριον εἰσπράξεται.* 61 *νεαλὴς δὲ καὶ πρόσφατος ὢν ἐκεῖνος περιῆν αὐτοῦ τεταριχευμένου καὶ πολὺν χρόνον ἐμπεπτωκότος.* Alio loco (§ 90.) turbulentos Aristogitonis mores his verbis explicat: *ταῦτα τοίνυν Ἀρ. τὰ καλῶς οὕτω πεπηγότα τῇ φύσει . . . κινεῖ καὶ ἀναιρεῖ καὶ μεταρρίπτει, καὶ ἃ τῶν ἄλλων τῶν ἠτυχηκότων ἕκαστος ἀψοφητὶ ποιεῖ, ταῦθ' οὗτος μόνον οὐ κώδωνας ἐξαψάμενος διαπράττεται.* Addo duram allegoriam, quam legimus § 84: *μὴ δὴ πρὸς οὓς αὐτὸς ἔχωσας λιμένας καὶ προβόλων ἀνέπλησας, πρός τούτους προσορμίζου.* Quanto mitius contra illud, quod de aris in hominum animis constitutis orator ait: *καὶ δίκης γε καὶ εὐνομίας καὶ αἰδοῦς εἰσι πᾶσιν ἀνθρώποις βωμοί, οἱ μὲν κάλλιστοι καὶ ἁγιώτατοι ἐν αὐτῇ τῇ ψυχῇ ἑκάστου καὶ τῇ φύσει, οἱ δὲ καὶ κοινῇ τοῖς πᾶσι τιμᾶν ἱδρύμενοι κ. τ. λ.* §. 35.*) Quid dicam de iis translationibus, quibus adversarii personam perstringit? quales sunt *θηρίον* 8. 31. 59. *κύων τοῦ δήμου* 40. *λοιμός* 80. Equidem existimo his omnibus iam satis perspicue demonstrari oratorem quam maxime a Demosthenis simplicitate aberrasse. Non dico de singularum translationum gravitate et audacia — similia etiam apud Demesthenem leguntur — in frequentia et abundantia offendo, qualem haud scio an apud nullum alium oratorem invenias. Legas modo orationes Demosthenis! Ex quibus eae, quae sicut haec ipsa oratio in causis privatis habitae sunt, fere omnino gravioribus translationibus allegoriisque carent. Ne in iis quidem, quibus summa virium contentione vel cives turpi otio consopitos incitavit vel calumnias Aeschinis refutavit, iustum modum unquam transgressus est. Nam, ut exemplum proferam, in tota oratione de corona habita undecim**)

*) Praeter haec exempla conferas §§. 21. *δεῖ πάντας — τὸ καθ' αὑτόν·* 28. *ὅς κεκλειμένης — οἱ νόμοι* atque ibid. *ἀπεσχοινισμένος — διασπᾷς·* 40. *οἷος οὓς μὲν — κατεσθίειν·* et paullo post: *ἀλλὰ μὴν - κατακοπτόμενος.* 46. 48. *πλὴν εἰ κ. τ. λ.* ib. *οὐδὲ γάρ κ. τ. λ.* 52. *μεθ' ὧν οἱ ζωγράφοι κ. τ. λ.* 70. *εἰσὶ — κειμένη.* 75. 76. *τούτῳ — βάραθρα.* 90. 95. *δεῖ δὴ πάντας κ. τ. λ.* 96. 97. *ἐξ ὧν — ἐγένοντο.*

**) §§. 50. 159. 194. 198. 231. 243. 247. 277. 281. 298. 320.

modo insunt translationes, quae effusius extenduntur; viginti tres*), quas unum vel duo verba efficiunt.

Eadem oratoris in dicendo abundantia ex eo quoque apparet, quod multis orationis locis eadem vel similia verba usque ad satietatem repetuntur. Videas illud *τὰ δίκαια*, quod legis §§ 1. 69. (*τὰ τουτονὶ τοῦ ἀγῶνος δ.*) 3, 14. (*τὰ τῶν νόμων δ.*) 14. 17. (*τὰ τῆς ἐνδείξεως δ.*) denique bis § 28. Deinde nota crebram molestissimamque iterationem pronominis *οὗτος*. cf. §§. 14. *τούτου τοῦτον*. 83. *οὗτος οὕτως*. 91. *τήν τούτου αἰτίαν εἶναι τῶν βλασφημιῶν, αἳ περὶ οὐχ ὁμοίων τούτῳ διὰ τοῦτον γίγνονται* et paullo ante: *τουτονὶ ταῦτα ποιεῖν, καὶ ταῦτ' κ. τ. λ.*, inprimis autem 86. *εἴ τῳ τις φίλος — ἐστὶν ἐν τούτοις, ὡς ὑπὲρ τούτου τοῦτον προσήκει μισεῖν, τοῦτο β. δ.* Quae quidem eiusdem pronominis compositio num adeo frequenter apud Demosthenem occurrat, dubito. cf. or. I. c. Onetor. § 24. c. Aphob. § 7. c. Aristocr. § 93. Quinquies verbum *περιεῖναι* repetitur. §§ 7. 9. bis 24; ter adiectivum *ἄμικτος*, sed ita, ut duobus locis §§ 52. 58. activae semel, § 63 passivae significationis sit.

Particulam *εἰ* in eodem enuntiato repetitam huc non rettulerim; quae quidem cum brevior sit et saepissime adhibenda, apud optimum quemque et ipsum Demosthenem subinde iteratur. (cf. §. 59. itemque *ὅταν* §. 75.)

Synonyma quae dicuntur quam saepe a Demosthene adhibita sint praesertim in sententiarum conclusione, apud omnes satis constat. cf. Doberenz in progr. gymn. Hildburghusensis a. 1844. Quae quamquam etiam huius orationis propria sunt, tamen haud raro eum modum numerumque in adhibendis iis desidero, quem ille semper servavit. Quo spectat illud *ἐσθίων κατέφαγε* § 62 vel *ζητεῖν καὶ ἐρευνᾶν* § 61, quae iteratio si in narratione per se simplici occurrit, non satis accommodata esse mihi videtur. His similia sunt §§. 10 *τὰ προειμένα — καὶ — διακείμενα*. 14 *λογίζεσθαι προσήκει καὶ σκοπεῖσθαι δεῖ*. 32 *ἐκ τοῦ παραδόξου καὶ παραλόγου*. 33 *θεωρεῖτε — βλέποντες*. 47 *αὐτὸς αὐτοχειρίᾳ*. 70 *εἰ δ' ἔτι ἔστι καὶ ἔσται καὶ μενεῖ*. 98 *βλέψονται καὶ φυσιογνωμονήσουσι*. ib. *ποίοις προσώποις ἢ τίσιν ὀφθαλμοῖς — ἀντιβλέψεσθε* (nam sic cum Cobeto scribendum est nov. lect. p. 257.) 99 *ἅπαντες κοινῇ*, alia multa. Restat ut afferam illud *ἀλλά*, quod in verbis *ἀλλ' οὐδ' ὁτιοῦν* § 5 atque in *ἀλλ' ἤ* § 68 legitur, itemque *μᾶλλον* post comparativum positum; vid. § 39 *τούτου δ' οὔτε πλειόνων οὔτε μειζόνων ἁμαρτημάτων οὐδεὶς μᾶλλόν ἐστι μεστός*. Nam haec ad eandem ubertatem sermonis refero, quam iam supra reprehendi.

Jam ad dicendi figuras me converto, quae quamvis orationem augeant atque ornent, tamen si eaedem frequentius occurrunt, vitio vertendae sunt. Alias ut hoc loco praetermittam, quis unquam apud Demosthenem tantam *ἀσυνδέτων* quae dicuntur frequentiam legit, quanta inest in hac oratione? vid. §§ 9. 20. 23. 24. 25. 26. 28. 36. 41. 49. 50. 52. 94. 95. etc. An, ut contrarium proferam, quis multa *πολυσύνδετα* laudet, quibus oratio abundat? cf. §§ 4. 9. 10. 11. 16. 24. 26. 52. 90. etc. Nec minus in multis *παρονομασίας* exemplis offendo, quibus Demosthenem satis raro usum

*) §§. 7. 11. 16. 19. 45 duobus locis 121. 124. 138. 149. 153. 163. 173. 188. 194. 200. 214. 242. 295. 296. 307. 308. 320.

esse constat. cf. §§ 12 *συνήθους εὐηθείας*. 16 *ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων*. 26 *βλασφημίαν ἀντὶ τῆς νῦν εὐφημίας*. 42 *στασιώδεις καὶ ταραχώδεις λόγους*. 30 *οὖσι καὶ δοκοῦσι*. 64 *μαγείρῳ μαχαίρας*. 50 *σπαράττων — εἰσπράττων*.

Grammaticis vero rebus intentus si orationem perlustras, non ita multa tibi occurrunt, quae in ea sola leguntur; plurima et apud alios oratores et apud Demosthenem inveniuntur; igitur id modo nobis notandum erit, quod ab illo aut omnino repudiatum aut rarius usurpatum est.

Haud raro in oratione iusta et usitata structura verborum prorsus neglecta est. Sic particulas *μέν* et *δέ* singulari modo collocatas invenimus § 75 *ἐὰν ἡ γῆ μὲν ἄνω, τὰ δ' ἄστρα κ. τ. λ.* et paullo post mutato ordine *ὅταν ἡ μὲν πονηρία τιμᾶται, τὰ χρηστὰ δ' κ. τ. λ.* Deinde rarum parenthesis genus advertas, quod legitur § 29 *εἰ γάρ τις εἴποι ὡς ἐκ τῶν νεωτάτων — ἢ τῶν τοιούτων τινὸς μερῶν, ἀφορίσας, τοὺς λέγοντας εἶναι δεῖ κ. τ. λ.* quo loco participium *ἀφορίσας* cum verbo *εἴποι* iungendum est. Atque simili in componendis verbis licentia scriptor usus est § 8 *πρὸ τοῦ περὶ τῶν ἰδίων ἐμὲ τῶν τουτονὶ λέγειν·* quo *ἐμὲ* interposito „separatae voces fortiorem accentum rhetoricum consequuntur.“ (Weber Aristocr. p. 127.) Huc etiam rettulerim *τοὺς γενομένους κύνας τῶν προβάτων·* § 40 pro *τοὺς τῶν πρ. γενομ. κ.* dictum. cf. Dem. 18 § 176. *τὸν ἐφεστηκότα κίνδυνον τῇ πόλει*. §§ 197. 220. Multo minus in iis offensio est, quae neglegenter dicta sunt § 28: *ἀλλὰ τοσούτοις ὀφλήμασι καὶ τούτων — κειμένων*, quo loco dativus *τούτοις κειμένοις* exspectatur. Similiterque orator a iusta

via aberravit § 92: *λοιπὸν τοίνυν ἐστὶ τοῖς ἀπαλλαγῆναι βουλομένοις τούτου, ἀδίκημα — ἔχοντας — αὐτῷ θανάτου τιμῆσαι.*

Insigne personarum commutationis exemplum, quod iam a Ps.-Longino de subl. c. 27 laudatur, hoc habes: *ἄνθρωπος οὑτοσί — ὅς, ὦ μιαρώτατε πάντων — ἐς τὸ ἐντὸς τούτων βιάζῃ* § 28.

Non admodum raro apud Demosthenem accidit, ut in uno eodemque enuntiato a pronomine relativo structura alterius membri ad demonstrativum deflectat. cf. de Rhod. libert. § 26. Olynth. III § 24 etc. Sed duo tantum extant loci, quibus pronomini relativo demonstrativum *οὗτος* pro *αὐτός* positum respondet: unus in or. de fals. leg. § 309: *ἃς οὐκ ἠλέησεν Αἰσχίνης οὐδ' ἐδάκρυσεν ἐπὶ ταύταις τὴν Ἑλλάδα κ. τ. λ.* alter in huius orat. § 81. *ἃ κοινὰ νὴ Δία πᾶσιν ὑπάρχει τοῖς ἀγωνιζομένοις —, καὶ οὐδεὶς αὐτὸς ἑαυτῷ ταῦτα φέρει κ. τ. λ.* cf. Lys. or. 23, 27. 25, 30.

Deinde non omittendam esse puto figuram, quae *ἀπὸ κοινοῦ* dicitur, cf. § 9; ubi dum sensus postulat *ἐν αἷς ὑμεῖς γνώμης ἀπόδειξιν, οὐ πονηρίας ἐπίδειξιν, προτίθετε* (cf. § 50 *καὶ τῆς — πονηρίας ἐπίδειξιν ποιούμενος*) simpliciter *γνώμης ἀπόδειξιν, οὐ πονηρίας προτίθετε* ab oratore dictum est.

Notandus etiam est usus particulae *ὅταν* § 68 in definitione post pronomen interrogativum (*ἐκ τίνος*). Similem locum apud Demosthenem non legi nisi in or. c. Mid. § 224 *τίς οὖν ἡ δύναμις αὐτῶν ἐστιν; ὑμεῖς ἐὰν βεβαιῶτε αὐτοὺς κ. τ. λ.* et or. c. Aristocr. § 62 *τί γὰρ ἄλλο ἐστὶ τὸ μεταποιεῖν ἢ ὅταν — διδῷ τις κ. τ. λ.* Contra ab illo prorsus aliena est particula *ὡς* post comparativum pro *ἢ ὡς* posita § 53: *ἀλλὰ καὶ*

μειζόνων ἀξιώσαντες δωρεῶν ἀφήσετε ὡς τοὺς εὐεργέτας. Quo loco quamquam fuerunt, qui genetivo *ὧν* scribendo rarissimum particulae usum removerent, tamen cum Schoemanno equidem facio, qui *ὡς* servandum esse certis argumentis probavit (*Redetheile* p. 237 sq.).

Formula illa *καλῶς ποιῶν* „qua indicatur facere aliquem id quod aut sibi ipsi commodum est aut quod is qui loquitur fieri optat et gaudet"*) in hac oratione (§ 97) verbis *καὶ καλῶς ἐποίει* liberius redditur; id quod satis raro apud Demosthenem comparet. cf. or. c. Mid. § 212. et Psd.-Dem. or. in Phil. IV § 38.

Verbum *κρίνειν* existimandi significatione (§ 42) Demosthenes omnino non usurpavit. Neque vero ab Atticorum sermone istum usum abhorrere probant Thuc. II, 40. Xen. Cyr. III, 1, 34. Plat. rep. V p. 569 B.

Saepius a veteribus recentioribusque grammaticis notatum est adverbium *ὁμοῦ* (§ 51) simili modo atque *ἐγγύς* cum nomine numerali coniunctum. cf. Harpocr. s. v. *ὁμοῦ*: *Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀρισιογείτονός φησιν. εἰσὶν ὁμοῦ δισμύριοι κ. τ. λ.* Suid. s. v. Quod quidem ab aliis quoque scriptoribus Atticis adhibitum fuisse schol. ad Ar. equit. 245 adnotat: *τὸ ὁμοῦ λέγουσιν Ἀττικοὶ ἀντὶ τοῦ ἐγγύς, ὡς ἐν Εἰρήνῃ.* (v. 513) *Καὶ μὴν ὁμοῦ 'στιν ἥδε·* Apud Demosthenem frustra id quaeras. cf. omnino Schaefer app. crit. t. IV p. 344 sq.

Animadvertas etiam ellipsin, quae inest in verbis *πάντες οὗτοι συνεστᾶσι* § 64. „Desideras additamentum aliquod, ut *ἐπ' ὀλέθρῳ τῆς πόλεως* vel similia."

---

*) cf. G. Hermann. ad Viger. p. 779.

Francken, comment. Lys. p. 216. Qua tamen in re ne offendas, compares quaeso illud Lysiae 27, 10 *τὴν βουλὴν ἐλοιδόρει φάσκων συνεστάναι.* Nec supervacaneum esse mihi visum est singularem verborum coniunctionem notare, quam habemus in verbis: *ἀποδοκιμάζειν τὴν ἀρχήν, ἣν ἔλαχεν.* (§ 67.) Nam semper fere dici solet „*ἀποδοκιμάζειν τινὰ ἄρχειν λαχόντα* (cf. § 90): qua de re vid. Meier et Schoemann *Attischer Process* p. 205. Denique dubito num apud alium invenias *διατρίβειν τῇ ψυχῇ ἐπί τινι* (§ 51), ut sit „mente et ratione versari in aliqua re."

Hic mihi locus esse videtur ad errorem tollendum, in quem A. Schaeferus inductus est (l. l. p. 126). Qui in enumerandis orationis vitiis nonnullas periodos adnotat, quas tardas obscurasque esse contendit. Quamquam obscuritas mea sententia non tam scriptori, quam posteriorum librariorum ineptiis tribuenda erit, quas tollere nostrum est. Et tollit unius quidem loci ineptias Cobetus nov. lect. p. 557, cum certis argumentis nixus in verbis *οὗτος πρᾶγμ' ἑώρακε μιαρὸν καὶ ἀναιδές* reponat *εὕρηκε* (§ 41.) Unde efficitur id semper cavendum esse, ne res quas nosmet ipsi non satis intellegamus tamquam peccata veteribus scriptoribus crimini demus. Sed longe alia verborum ratio est quae legimus §§ 10 sqq., in quibus limandis frustra operam consumas. Non curo versus oratoris verbis intextos*), quamvis tale quid apud Demosthenem non facile inveniatur: in ambagibus offendo, quibus haec tota periodus abundat. Quam foeda

---

*) cf. Hymn. Orph. LXII.

Ὄμμα Δίκης μέλπω πανδερκέος, ἀγλαομόρφου
Ἣ καὶ Ζηνὸς ἄνακτος ἐπὶ θρόνον ἱερὸν ἵζει
Οὐρανόθεν καθορῶσα βίον θνητῶν πολυφύλων.

participiorum copia, quam nihil illius concinnae et artificiosae verborum compositionis, qua splendet eloquentiae princeps!

Jam restat, ut de hiatibus qui in oratione occurrunt pauca addam. Primus, ni fallor, Cicero vidit (or. 44, 151) Demosthenem crebram vocum concursionem ut vitiosam fugisse. Quod si respicimus, facere non possumus, quin Benselero assentiamur, qui propter nimium hiatuum numerum orationem a Demosthene scriptam esse negavit (de hiatu in orator. Attic. p. 128).

Venimus ad pertractandam orationis compositionem quae cum simplex sit, breviter absolvi potest. Initium dicendi facit orator ab explicanda ratione, qua iudices litem adversus Aristogitonem institutam aestimare oporteat §§ 1—14. Ad rem ipsam accedens primum — id quod recte iam Schaeferus docuit l. l. p. 122, — quae Aristogito in rem publicam atque leges male gesserit §§ 15—53, dein eius ferociam contra privatos dilucide ostendit §§ 54—68. Postea iis prolatis argumentis quae Lycurgus in accusando omiserat §§ 68—75 Aristogitoni omnino nulla esse praesidia, ad quae confugere possit, affirmat. §§ 76—91. In extrema denique oratione iudices acriter adhortatur, ut maiorum memores reum pro iniustis facinoribus summo supplicio afficiant §§ 92 usque ad finem. Intellegis quam perspicua et simplex dispositio in oratione insit. Sed si singula quaerimus, nonnulla nobis occurrunt, quae a Demosthene etsi non aliena, certe minus frequenter usurpata sunt. Quo spectat orationis exordium longum atque copiosum, cum Demosthenes praesertim in δευτερολογίαις*) quae dicuntur paucis praemissis verbis in medias res ingredi soleat. Neque minus brevis idem in perorando est: nisi forte orationes in Midiam et in Aeschinem de falsa legatione habitas obvertis, quibus orator ad eandem fere vim et gravitatem assurgit, quam in hac oratione admiramur. Quae cum δευτερολογία sit, deest narratio, ut orator ab exordio statim ad propositionem (§§ 13, 14) progrediatur. In argumentatione autem ipsa ea vi sive δεινότητι caret, qua Demosthenes semper splendet atque fulget.

Sed haec hactenus; tempus enim est ad alteram orationem transire.

Quintilianus in instit. orat. lib. X, 1, 76 sic de Demosthenis eloquentia iudicat: „Tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt, tam nihil otiosum, is dicendi modus, ut nec quod desit in eo, nec quod redundet, invenias.“ Quo cum iudicio clarissimi artis rhetoricae magistri si alteram in Aristogitonem orationem comparaveris, prorsus eam ab illo abhorrere confiteberis. Deest illa ipsa argumentandi δεινότης adeo in Demosthene laudata, desunt nervi ut ita dicam forenses, quibus nemo unquam magis illo floruit. Tria illa, quae praestare debet orator, ut doceat, ut moveat, ut delectet, apud huius orationis auctorem frustra quaeras. Sermo est ieiunus et exilis, compositio verborum simplicissima omniumque vividiorum transgrediendi figurarum expers.

Singulas res cum perlustrarem, in his verbis offendi, quae apud Demosthenem non inveni:

*) cf. prooem. orat. in Lept.

§ 4. *ὑπὲρ ὑμᾶς φρονῶν* pro *ὑπερφρονῶν ὑμᾶς* dictum apud Demosthenem non extat. cf. Xen. Cyr. VIII, 7, 3 *ὑπὲρ ἄνθρωπον φρονεῖν.*

§§ 5 et 25. *πειθαρχεῖν*, obedire. Isocr. III, 13. Xen. mem. III, 5, 19.

§ 7. *ὑπερπλήθης*, immodicus. Nicochar. ap. Athen. 7, 328 E.

ib. *προχείρως*, expedite, temere. cf. Aesch. in Timarch. § 22. Hyperid. IV, 15, 9 in Westermanni ind. graec. Hyp.

§ 17. *παροργίζεσθαι πρός τινα*, iratum esse Theophr. hist. pl. 9, 16, 6.

§ 19. *ἐπονείδιστος*, ignominiosus. cf. Isocr. XII, 106.

ib. *περιποιεῖν* conservandi significatione apud Demosthenem me legere non memini; sicubi in eius orationibus extat, potius vertendum est: operam dare, efficere ut rem habeas eave potiare. cf. or. de Rhod. libert. § 11 et de coron. § 49. Saepissime autem apud eundem medium *περιποιεῖσθαι* occurrit.

ib. *διαβοᾶσθαι*, clamando certare. Medium nullo alio loco inveni, activum legitur apud Thucyd. VIII, 53 et 78.

§ 22. *ἀγεννής*, degener. Plat. Protag. p. 319 D. Gorg. p. 645 B. et saepius.

§ 23. *ὑπερβαλλόντως*, eximie. cf. Isocr. I, 28; XII, 8. Omnino respicias praepositionem *ὑπέρ* tam frequenter ab oratore adhibitam. Nam praeter eos locos, ubi compositionis partem efficit (*ὑπερπλήθης* et *ὑπερβαλλόντως* modo laudata) singulari modo eandem cum accusativo coniunctam legis § 15 *ὑπὲρ τοὺς ἄλλους εἶναι*. cf. Plat. legg. VIII, p. 839 D *ὑπὲρ ἄνθρωπον εἶναι*. Isocr. IV, 11.

§ 26. *ἀγριότης*, feritas. Isocr. XII, 66.

§§ 3. 5. 6. *ὡσαύτως*, quam particulam frustra apud oratores Atticos quaesivi.

Accedit iurandi formula *νὴ τὴν Ἀθηνᾶν* § 19. In qua certe non offenderem, si saepius apud Demosthenem occurreret. Sed cum constet summo studio illum tales formulas quales sunt *νὴ Δία, πρὸς θεῶν* sermoni inseruisse, magni momenti est, quod illam omnino omisit. Nam duo loci quos afferre possis eiusmodi sunt, ut fere nullam vim habeant: quorum unus legitur in prooemiis (46 p. 1453) quae non ab ipso Demosthene scripta esse viri docti consentiunt, altero (or. in Mid. § 198) dea una cum Iove et Apolline solemniter invocatur.

Tribus orationis locis (§§ 3. 22. 26.) allegoriae leguntur, quibus exceptis omnem ornatum desideras. Nam pleonasmus, qui in verbis *τοὺς φάσκοντας τῷ λόγῳ* (§ 23) inest, deinde eiusdem stirpis verbi et substantivi coniunctio *πόρον πεπόρικεν* (§ 17) oratori vitio potius, quam laudi danda sunt. Adde iteratas rhetoricae interrogationis formulas *καίτοι πῶς οὐκ ἄτοπον* (§ 8), *καίτοι πῶς οὐ δεινόν* (§§ 12. 15), *πῶς δ' οὐκ ἂν εἴη ἄλογον* (§ 24) in oratione tam brevi certe frigidiores.

Sicut in singulis verbis atque figuris, ita etiam in rebus, quae ad artem grammaticam pertinent, orator haud raro ab usu Demosthenis recedit. Huc refero participia pro enuntiatis condicionalibas posita: *ὃ καὶ δεινότατον ἂν εἴη συμβαῖνον* pro *εἰ συμβαίνοι* (§ 7), itemque *πῶς δ' οὐκ ἂν εἴη τὸ συμβαῖνον ἄλογον*· deinde verbum *στέργειν* cum participio coniunctum: *στέργουσιν εἴκοντες* (§ 5); quem quidem usum apud unum Sophoclem inveni

(Trach. 992). Tum notes participium τὸ τιμωρησόμενον (§ 4) Thucydidis more pro substantivo (i. e. vindex sive is qui poenas repetet) positum. Atque ex eodem scriptore mihi sumptus esse videtur frequens infinitivorum usus articulo praeposito. Videas quaeso § 2 ἂν δῶτε τὸ παρανομεῖν. § 5 παρέντες τὸ βιάζεσθαι. § 7 ἐξουσίαν τοῦ παρανομεῖν. § 8 βούλησιν εἰς τὸ παρανομεῖν. § 16 διὰ τὸ χρήσιμον αὐτὸν εἶναι. § 19 τὸ πολιτεύεσθαι. § 20 εὐλογώτερον ἦν τὸ πιστεῦσαι κ. τ. λ. § 25 τὸ πείθεσθαι ἡλίκον ἀγαθόν ἐστι κ. τ. λ. Quamquam non nego hunc usum etiam in Demosthenis sermone aliquantum valere.

Perspicuus verborum ordo ab oratore neglectus est § 7 ὥστε παρὰ τοὺς νόμους τι τοὺς κειμένους ὑμῖν πρᾶξαι, quo loco liberiorem positionem pronominis τι notes. Nec minus a iusto verborum ordine aberrat in § 18 οὐχὶ τοῖς ἐξαίφνης μετ' ὀργῆς πάθεσιν ὑμῖν συμπίπτουσιν ἐπακολουθεῖν, ubi adverbium ἐξαίφνης verbaque μετ' ὀργῆς adverbii modo usurpata artissime cum participio συμπίπτουσι coniungenda sunt.

Maiore cura quam qui priorem orationem scripsit auctor huius orationis in evitandis hiatibus usus est. cf. Benseler l. l. p. 128 sq. Quod ut probem, exemplum afferam. Octiens legimus adiectivum ἅπας, quinquiens simplex πᾶς ita positum, ut scriptor vocalium concursionem fugisse intellegatur (§§ 4. 6. 12. 15. 24): unus restat locus, quo verborum coniunctio tam certa et usitata est, ut inde nihil colligi possit. (ἐκ παντὸς τρόπου § 23.)

Reliquum est, ut de argumento et compositione orationis disseram. Quae cum τριτολογία sit, non multum argumentationis in ea inesse posse per se manifestum

est; itaque orator ea tantum quae iam antea dicta erant confirmavit. Cum omnes ait legum violatores coercendos esse tum eos, qui in publico munere versentur. Neque magis Aristogitoni parcendum, qui quam male se gesserit, e Lycurgi verbis iam satis apparere: immo legibus opem ferendam esse et reum condemnandum. Hanc fere summam habeas sententiarum, quas quidem quo magis augeret orator nonnullis exemplis e Graecorum historia sumptis illustravit. Jam vides, quantopere ille ab arte et ratione componendi Demosthenis abfuerit. Nam etiamsi oratio tamquam epilogus sit, tamen ne hunc quidem ab eloquentiae principe adeo ieiune inaniterque componi potuisse arbitror. Assentior igitur iis qui orationem a Demosthene scriptam esse negant.

Caput II.
Demosthenis aetate scriptas esse orationes disputatur.

Supra demonstravimus neque priorem neque posteriorem orationem a Demosthene scriptam esse. Quae cum ita sint, iam nobis quaerendum est, quis fuerit utriusque orationis auctor vel potius, cum haec quaestio difficillima sit et vix queat omnino diiudicari, quo tempore ortae sint orationes.

Primum id monere velim fere omnes, qui priorem orationem Demosthenis aetate scriptam esse negent, tamen multa in ea inesse confiteri, quae magno oratore digna sint. Nam ut alios silentio praetermittam*), „praeclare,

*) A. Schaefer, l. l. p. 125. Becker *Demosthenes als Staatsmann und Redner* t. II p. 403.

inquit Westermannus (l. l. p. 67.) scripta est et ad forum accommodate; varius et copiosus auctor est in enarrando, dilucidus in disponendo, gravis atque artificiosus in argumentando, ita ut nihil deesse ei dixeris, quam veram illam Demosthenis *δεινότητα.*“ Quod iudicium unusquisque, qui orationem sine ira et studio perlegerit, haud dubie probabit. Nimirum si omnes oratores eodem modulo metimur quo Demosthenem, fortasse nullum habeamus, qui summa laude dignus sit. Suas quisque virtutes habet, quibus solis aestimandus est. Neque vero virtutibus haec oratio caret. Spirat enim talem vigorem et vehementiam sermonis, ut non possit nisi ab exercitato oratore habita esse. Quod ne temere a me dictum esse videatur, certa argumenta proferam.

Jam supra ostendi oratorem raris inusitatisque verbis vehementer delectari. In quibus tamen cur viri docti offenderint, equidem non intellego. Nam quod dicunt talia verba posteriorum scriptorum esse praeclaroque oratore indigna, iam pluribus a me demonstratum est paucis exceptis illa cum apud aequales Demosthenis tum apud priores legi. Praeterea autem Demosthenes ipse quem praestantissimum oratorem fuisse nemo negat similia adhibere non dubitavit. Talia sunt: *ἐκνενευρισμένοι* III, 31. *ἐλλεβορίζειν* XVIII, 121. *ἑωλοκρασία* ib. 50. *λαρυγγίζειν* ib: 243. *ἀναχαιτίζειν* II, 9. *ἐκτραχηλίζειν* IX, 51: quae omnia non minus quam quibus haec oratio excellit tamquam *τραχεῖαι λέξεις* a veteribus grammaticis reprehenduntur.*)

---

*) cf. Hermog. III, 233 *λέξις δὲ τραχεῖα ἡ τετραμμένη καὶ ἀφ' ἑαυτῆς σκληρά, οἷόν ἐστι κ. τ. λ.*

Ex ceteris autem Hyperides potissimum raris et inusitatis verbis studuit. Legimus enim apud Hermogenem III p. 382 W. *ἴδιον δὲ Ὑπερείδου τὸ καὶ ταῖς λέξεσιν ἀφειδέστερόν πως καὶ ἀμελέστερον χρῆσθαι· ὥσπερ ὅταν μονώτατος λέγῃ καὶ γαλέαγρα καὶ ἐκκοκύζειν κ. τ. λ.* idemque ex orationibus eius quae supersunt facile demonstrari potest. cf. *ἀκρατοκώθων* I fr. 103. *ἀλιμενία* fr. 183. *ἀλφιτεῖς* fr. 252. *ἀναισχύντημα* fr. 254. *ἀνασυνιάσσειν* fr. 178. *ἀνέκλειπτος* IV 8, 8. *ἀνεπόπτευτος* fr. 205. *ἄνετος* = *ἱερός* fr. 76. *ἁψιμαχεῖν* fr. 157. *διαγραφεύς* fr. 119. *ἐπισυκοφαντεῖν* fr. 272. *θριπήδεστος* (fr. 86. cf. Ar. Thesm. 427.) *καταρρητορεύειν* I 20, 24. *κονδυλίζειν* fr. 114. *νωθρεύεσθαι* III fr. 143. *ὀφθαλμιᾶν* = *ἐπιθυμεῖν* fr. 286. *ὀψαρτύτης* fr. 287. *προαναισχυντεῖν* I, 9, 14. *στηλοκοπεῖν* fr. 262, alia. Jam id quod his duobus oratoribus praestantissimis licuerit, minime in alio quodam reprehendendum esse censeo.

Transitum facio ad translationes allegoriasque, quae in oratione insunt. Sane quidem abundantia earum a Demosthenis simplici et venusto sermone abhorret: atqui quid cogit nos, ut eas etiam altero oratore indigna iudicemus? Num quia parum aptae sint adpurum et incorruptum Atticorum sermonem? At ne Demosthenes quidem similia repudiavit. Respicias modo illa *μιαρὰ καὶ ἀπίθανα ῥήματα,* quae adversarius eius tam vehementer insectatus est. (cf. Aesch. Ctesiph. § 166.) Tum vero quis neget multa in his inesse, quae vel summo oratori decori sint? Quam acuta atque perspicua allegoria illa qua Aristogito cum mobili et insidioso scorpione comparatur (§ 52);

quam nobilis illa altera: „*δεῖ πάντας ὑμᾶς τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ ἂν εἰ καθῆσθε ἐράνου πληρωταί, τὸν μὲν πειθόμενον τούτοις ὡς φέροντα τὴν τῆς σωτηρίας φορὰν πλήρη τῇ πατρίδι τιμᾶν καὶ ἐπαινεῖν, τὸν δ' ἀπειθοῦντα κολάζειν κ. τ. λ.* § 21. (cf. Dem. in Mid. §§ 101. 184.) Concedo alias legi, quae nimis violenter fictae sint: propter quas iam veteres grammatici *σφοδρότητα* (vehementiam) quasi propriam orationis notaverunt. „*παράδειγμα*, inquit Hermogenes (*π. ἰδ.* I, 8 p. 240.) *σφοδρότητος σχεδὸν μὲν ἅπας ὁ κατὰ Ἀριστογείτονος τοῦ Δημοσθένους λόγος.*“ Quomodo autem inde concludi possit orationem a posteriore quodam rhetore conscriptam esse minime assequor. Mea quidem sententia illa ipsa vehementia orationem veram et genuinam esse plane atque aperte demonstrat. Adde id quod Cicero, cum in libro de oratore conscripto (II, 23, 95) Graecos oratores enumeraret, de posterioris aetatis eloquentiae ratione iudicavit: „Posteaquam, inquit, extinctis his (sc. Demosthene, Hyperide etc.) omnis eorum memoria sensim obscurata est et evanuit, alia quaedam dicendi molliora ac remissiora genera viguerunt.“*) Quibus cum haec oratio omnino non respondeat, causam hercle non video, cur eam Attico cuidam oratori abiudicemus.

---

*) cf. Dionys. Halic. d. orat. ant. p. 80, 33. *ἐν γὰρ δὴ τοῖς πρὸ ἡμῶν χρόνοις ἡ μὲν ἀρχαία καὶ φιλόσοφος ῥητορικὴ προπηλακιζομένη καὶ δεινὰς ὕβρεις ὑπομένουσα κατελύετο, ἀρξαμένη μὲν ἀπὸ τῆς Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος τελευτῆς ἐκπνεῖν καὶ μαραίνεσθαι κατ' ὀλίγον, ἐπὶ δὲ τῆς καθ' ἡμᾶς ἡλικίας μικροῦ δεήσασα εἰς τέλος ἠφανίσθαι.* — Aristot. rhet. I c. 4.

Fuerunt qui sententiis ducti orationi crebro insertis „ex philosophorum umbra atque ambulationibus“ eam profectam esse putarent. Non nego nonnulla „*φιλοσοφώτερον καὶ περιοδικῶς*“ dicta esse, tamen si rem accuratius perquiras, facile apud alios quoque scriptores et oratores similes sententias invenias.*) Sic Platonis ingenium multa adeo spirant, ut orationis auctorem sicut alios illius temporis oratores illum ipsum audisse suspicer.

Haec omnia quae modo attuli, rara et inusitata verba, audaces translationes, crebrae sententiae, plerosque ita ab orationis auctore abalienarunt, ut singulas res quibus splendet nimis neglegerent. Quae quidem, opinor, eiusmodi sunt, ut vim et contentionem oratoris, non operosum scribae laborem aperte manifestent. En lumina illa, quae Cicero in perfecta oratione laudat: verborum geminationem (§§ 14 *δότε, ὦ ἄνδρες Ἀθ., δότε.* 49 *πλὴν ἔστι νὴ Δία, ἔστιν.* 50 *οὐκ ἐκείνους ὑβρίζων, οὔ.* 58 *μιαρόν, μιαρόν.* 73 *οὐκ ἔστι ταῦτα, οὐκ ἔστιν.* 87 *οὐχ ὁμοῖον, οὔ.* 95 *ἀνίατον, ἀνίατον, ἄνδρες Ἀθην.* 100 *τί ἐρεῖτε, ὦ ἄνδρες Ἀθ., τί ἐρεῖτε;*) concinnam eorum transgressionem (§§ 49 *οἷς μὲν ὑμεῖς τὰ μέγιστα ἐνεχειρίζετε στρατηγοῖς.* 83 *οἷς — πᾶσιν.* 95 *οἷς — θορύβοις.*) correctionem (§§ 32 *ἀπόνοια ἡγεῖται; μᾶλλον δ' ὅλον ἐστὶν ἀπόνοια ἡ τούτου πολιτεία.* 70. 84.) reticentiam (§ 79 *οὑτοσί — καὶ τὰ μὲν ἄλλα σιωπῶ.*) subiectionem

---

*) cf. § 93 cum Lys. in Alcibiad. I, 12. Lycurg. Leocr. § 10. Din. in Dem. § 60. Dem. de fals. leg. §§ 101. 343. in Mid. §§ 76. 227. deinde § 15 *τούτων ἡ μὲν φύσις κ. τ. λ.* cum Plat. republ. I p. 338 E et legg. X p. 890 A. tum § 16 *οἱ μὲν νόμοι κ. τ. λ.* cum Plat. legg. I p. 644 D., Xen. Memor. I, 2, 42.

vel puram (§ 42 *ἀλλὰ νὴ Δία κ. τ. λ.* 65. 73. 81) vel cum dissimilatione coniunctam (§ 67. 78), dissimulationem (§§ 79 *τὴν καλὴν δίκην αὐτῷ λαχών*. 99), digressionem, (§§ 9. *καὶ τὰ μὲν ἄλλα ἐάσω*. 19. 37. 45. 55), aut cum demptis coniunctionibus solute plura dicuntur, (cf. quae p. 15 de hoc schemate dixi), ab eodem verbo ducitur saepius oratio (§ 67 *ἀλλ' ὅτι* —), interrogando adversarius urgetur (§§ 37. 84.), cum orator ad interrogata sibi ipse respondeat (§§ 27 *δια τί; ὅτι κ. τ. λ.* 40. 53. 59. 77. 78 etc.), aut cum iis qui audiunt (§ 73 *ἂν ἕλῃ τὸν Ἀρίστωνα —, τί ἔσται; ἐξαλειφθήσεται νὴ Δία, ὁ δ' ἀντεγγραφήσεται· ταῦτα γὰρ οἱ νόμοι λέγουσιν. καλῶς. πότερον κ. τ. λ.*), nonnunquam etiam reo cum deliberat. (§§ 28 *ὅς ὦ μιαρώτατε κ. τ. λ.* 72.) Quid dicam de exemplis orationi intextis, (§§ 22. 29 sq. 47.) quid de crebris Jovis aliorumque deorum obtestationibus? (*νὴ Δία* §§ 40. 42. 67. 73. 77 bis. 78. 79. 81. *πρὸς Διός* 14. *μὰ Δία* 41. *μὰ τὸν Δία καὶ πάντας θεούς* 13. *μὰ τοὺς θεούς* 48. 85. *νὴ τὸν Δία καὶ τοὺς θεούς* 65. *φέρε δὴ πρὸς θεῶν* 72. *φέρε γὰρ πρὸς θεῶν* 25. *ὦ Ζεῦ καὶ θεοί* 31. *ὦ γῆ καὶ θεοί* 56. *νὴ τὸν Ἡρακλέα* 51. Quae omnia orationi tantam afferunt vim, tantum vigorem, quantum solus orator in foro exercitatus efficere potuit.

Structuram verborum si perscrutamur, vix quidquam inveniamus, quod ab Atticorum sermone abhorreat. Nam ea quae A. Schaeferus reprehendit, quam nullius momenti sint, iam antea demonstravi. Nonnunquam iusta verborum sententiarumque compositio neglecta est, sed ita, ut ornetur sermo, non corrumpatur: quam indolem liberius loquendi Graecorum propriam fuisse inter omnes

constat. Omnino expeditus est sermo perfacileque currit; nihil inest inepti, nihil fere, quod fori eloquentia indignum sit.

Accedunt alia leviora unde mihi apparere videatur orationem in illa ipsa Aristogitonis causa habitam esse. Verbi causa illud *ὑμεῖς ἠγανακτεῖτε ἀρτίως, εἰ τῶν τὸν ἔρανον φερόντων εἰς τὴν σωτηρίαν αὐτῷ κατηγορεῖ* (§ 58) nonne ita nos in medias res introducit, ut iratos Athenienses ipsi oculis spectare nobis videamur? An vero ullum habes posterioris aetatis rhetorem, qui tam dilucide tamque accurate mores consuetudinemque fori scribendo imitatus sit?

Oratores ut verba sua probarent, saepius leges, decreta, testes producebant: quam quidem consuetudinem etiam huius orationis auctor secutus est. Producit hominem, qui sepulti patris mercedem non acceperat, arbitrum litis, quam frater Aristogitoni propter venumdatam sororem intenderat eiusque ipsam accusationem, Zobiae patronum, venditores, ad quos illam adduxerat, hominem Tanagraeum, decretum denique eorum, qui cum Aristogitone in carcere fuerant. (§§ 58. 62.) Haec igitur ea crimina, quibus Lycurgus magnam rei improbitatem illustraverat, confirmabant et iis nova argumenta adiungebant. Quae quod leviora sunt, minime curo. Nam ex ipsa oratione apparet Lycurgum omnia, quae ad litem pertinerent, copiose penitusque pertractasse et testes citasse Aristogitonis facinorum. cf. §§ 1. 14. 38. 54 sq. 58. 69. 97 et or. II in Aristog. § 16. Pauca igitur ei, qui secundas partes egit, relinquebantur quae proferret.

Si res quaerimus quas orator tractat nihil fere invenimus, quod ab usu consuetudineque Lycurgeae

aetatis abhorreat. Hoc vero ipsum certissimum indicium genuinae orationis iudicandum est. Nam omnes fere declamationes, quae posteriore tempore in rhetorum scholis compositae sunt, tantam Attici iuris forique institutorum ignorantiam prae se ferunt, ut facile unde ortae sint intellegatur. Videas orationem illam in Alcibiadem habitam, quae iniuria Andocidi vel Phaeaci adscribitur. In hac quae de testarum suffragii ratione traduntur tam falsa sunt, ut nemo nisi iudicii illius ignarus orationis auctor perhiberi possit.*) Causa talium errorum quae sit facile intellegitur. Nam libertate Atheniensium amissa paullatim leges institutaque antiqua si non omnino remota, at valde minuta et commutata sunt.**) Cuius rei vestigia in hac oratione nulla invenimus. Quaecunque enim citantur, aut argumentis certis optimisque e fontibus haustis probari possunt aut facile explicari e moribus et usu aetatis Atticorum oratorum. Primum ut deinceps magistratus afferam, quorum orator mentionem fecit: *οἱ θεσμοθέται* § 28. *οἱ πράκτορες* ibid. *οἱ πληρωταὶ τοῦ ἐράνου* § 21. (cf. Dem. in Mid. §§ 101. 184.) *ὁ ἐπιστάτης* § 90. *ὁ κῆρυξ, ὁ πρύτανις, ἡ προεδρεύουσα φύλη* § 90. (cf. Aesch. in Timarch. § 33. in Ctes. § 4.) *οἱ ἕνδεκα* § 56. *ἡ βουλὴ οἱ πεντακόσιοι* § 23. *ὁ διαιτητὴς τῆς δίκης* § 58. *οἱ ἐπιστάται τῶν κοπρώνων* § 49 (cf. Boeckh., *Staatshaushalt* t. I p. 285): hi omnes eo tempore quo Aristogitonis causa acta est Athenis floruerunt ea ipsa condicione, quam ex oratione cognovimus. In una re miror, quod non

*) cf. Meier in Progr. Halens. 1835—43.

**) cf. Suid. s. v. *Δημάδης·* (Antipater) *κατέλυσε τὰ δικαστήρια καὶ τοὺς ῥητορικοὺς ἀγῶνας.*

offenderunt, qui orationem genuinam esse negant. Cum enim orator Areopagitarum qui dicitur senatum saepius in regiam convenisse contendat (cf. § 23 *ὧν ἓν ἢ δύο ἐρῶ παραδείγματος ἕνεκα, τὰ γνωριμώτατα· τὸ τὴν ....ἐξ Ἀρείου πάγου βουλήν, ὅταν ἐν τῇ βασιλείῳ στοᾷ καθεζομένη περισχοινίσηται*), ab omnibus aliis scriptoribus plane dissentit, qui Martis collem illorum conventuum locum fuisse tradunt. Quod quidem orationis auctorem ceterarum rerum peritissimum fugisse cum non verisimile est, tum difficultas, quae in verbis ab illo allatis inesse videtur, facile solvi potest. Satis enim constat, quantopere iam Demosthenis aetate Athenienses vitae commoditati consuluerint. Sic comitia a maioribus in Pnyce instituta tum in Dionysii theatro „ad videndum audiendumque commodiore“ habita sunt.*) Eademque ratione fieri potuit, ut Areopagitarum senatus quibusdam temporibus collem asperum tempestatisque incommodis obnoxium cum commodiore loco commutaret. Neque desunt exempla, quae alios quoque magistratus similiter a consuetudine locorum recessisse testentur. Sic inter omnes constat thesmothetas in thesmothesio coenare solitos fuisse: nihilo minus Hyperide teste eundem ad finem in regiam convenisse feruntur. cf. Hyp. frgm. 165 Saupp. e Poll. IV § 122 *οἱ δὲ ἐννέα ἄρχοντες εἱστιῶντο ἐν τῇ στοᾷ περιφραξάμενοί τι μέρος αὐτῆς αὐλαίᾳ.*

Omnino omnia quae in oratione ad magistratuum provinciamat que ad ius legesque Atheniensiumpe rtinent, optime cum antiquitatis institutis ceteroqui traditis congruunt.

*) cf. Scheemann de com. Athen. p. 56.

Huc refero *πρόγραμμα* ante comitia promulgatum § 9, deinde iudicum sortitionem § 27, tum duplex illud suffragium, quod cum alii accuratius explicent,*) hic paucis significatur: § 83 *πρὶν τὴν πρώτην ψῆφον διενεχθῆναι.* Addo nonnulla actionum genera, ut *δίκην ἀποστασίου* § 65 (cf. *Att. Proz.* p. 473), *εἰσαγγελίαν* § 47. De *γραφῇ* autem *βουλεύσεως* (§§ 28. 71) planius disserere necesse est praesertim cum Boeckhius inde probare studuerit orationem spuriam habendam esse.**) Qua in re titulo nititur ad rem navalem Atheniensium spectante, quo alia *βουλεύσεως* actio commemoratur. Sopolis enim Atheniensis cum navium armamenta publicis navalibus integra non reddidisset, a Polyeucto oratore accusatus magnaque pecunia multatus est. Quam ut solveret cum remos dedisset, Polyeucto auctore senatus decrevit in solutum eos accipiendos esse pretiumque eorum de nomine detrahendum. Quod ni fieret, Sopolidi *βουλεύσεως* actionem et in navalium curatores et in scribam undecimvirorum intendere licere. Verum ut expeditius res intellegatur, decreti verba ipsa afferam: *ἐὰν δὲ οἱ τῶν νεωρίων ἄρχοντες οἱ ἐφ' Ἡγησίου ἄρχοντος παραλαβούσης τῆς πόλεως τοὺς κωπ[έας] μὴ ἀναγράψωσιν εἰς τὴν στήλην [ἢ] ὁ γραμματεὺς τῶν ἕνδεκα μὴ ἀπαλείψῃ ἀπὸ τοῦ ὀφλήματος τοῦ Σωπόλιδος τὸ γιγνόμενον τῶν κωπέων κατὰ τὰ ἐψηφισμένα τῇ βουλῇ ὀφειλέτω ἕ[κ]α[σ]τος αὐτῶ[ν] ××× δραχμ[ὰς] τῷ δημοσί[ῳ] καὶ [ὑπόδικος] ἔστω Σωπόλιδι καὶ τοῖς Σωπόλιδος οἰκείοις τῆς βουλεύσεως τοῦ ἀργυρίου τῆς τιμῆς τῶν κωπέων.* Unde apparet actam esse *βουλεύσεως γραφήν*, si quis eum qui aliquid aerario debuisset quidem, sed debitum iam solvisset, dolo malo non expunxisset. Id quod iis quae apud oratorem de eadem actione legimus repugnare videtur. Nam si hunc solum sequimur, *βουλεύσεως γραφή* in eum spectaret, qui eum qui aerario nihil deberet dolo malo inter aerarios rettulisset. cf. § 71: *ἀλλὰ βουλεύσεως τὸν Ἀλωπεκῆθεν Ἀρίστωνα διώκει. ναί, φησίν. ἀδίκως γάρ μ' ἐγγέγραφεν.* Praeterea *ψευδεγγραφῆς* actionis potius natura a grammaticis hoc modo explicatur: *ὄνομα δίκης ἐστίν, ἣν εἰσίασιν οἱ γεγραμμένοι ὀφείλειν τῷ δημοσίῳ, ὡς καταψευσαμένου αὐτῶν τοῦ ἐγγράψαντος ἐν τῇ σανίδι τῇ παρὰ τῇ θεῷ κειμένῃ, ὡς ἀδίκως ἐγγραφέντες ὀφείλειν τῷ δημοσίῳ.* Harpocr. s. v. *ψευδεγγραφή.* Unde concludi possit duas diversas actiones ab oratore confusas esse. Quod num ita se habeat, nunc videamus.

*) Aesch. in Ctes. § 197 sq. Dem de fals. leg. § 290. cf. *Att. Proz.* p. 724.

**) *Urkunden über das Seewesen etc.* p. 536 sq.

Primum respiciendum est ea quae grammatici de *ψευδεγγραφῆς* actione tradunt, ex ipsa dumtaxat Lycurgi oratione adversus Aristogitonem habita fluxisse. cf. Harpocr. s. v. *Λυκοῦργος ἐν τῷ κατ' Ἀριστογείτονος καὶ Ἰσαῖος μνημονεύουσι τοῦ ὀνόματος.* Tum e Suidae verbis aperte intellegitur oratorem ipsum discrimen fecisse inter hanc et *βουλεύσεως* actionem. Suid. s. v. *ψευδὴς ἐγγραφή· καὶ γὰρ διαφέροντα τίθησιν ὁ Λυκοῦργος.* Hoc cum Libanius cui Lycurgi oratio praesto erat, in argumento duabus orationibus quas Demosthenes scripsisse fertur praemisso omnino praetermittat, obiter tantum oratorem *ψευδεγγραφῆς* actionis mentionem fecisse suspicor. Idemque hoc indicio est Libanium discrepantiam inter Lycurgi et huius

oratoris verba nullam animadvertisse. Adde quod etiam orationis auctor cum de *βουλεύσεως* actione identidem dicat ne uno quidem loco alterius mentionem fecit. Quod si causam quaerimus qua ductus alteram actionem ab altera differre Lycurgus monuerit, eam forsitan in eo inveniamus, quod orator cum Aristogitoni iniustam et ab Aristonis causa alienam *βουλεύσεως* accusationem obiceret actionis *ψευδεγγραφῆς* rationem, tamquam quae sola locum habere posset, explicaverit. Novimus enim Aristogitonis nomen propter multam quandam in aerarii albo notatum fuisse. Quod cum falso factum esse contenderet, Aristoni qui notandum eum curaverat sive errore sive consilio non *ψευδεγγραφῆς* actionem quae in hac re sola legitima accusatio erat, sed *βουλεύσεως* intendit. Atque talem similium accusandi generum confusionem illo tempore, quo tot veteres leges cum novis commutatae sunt saepius accidisse inter omnes constat. Quo quidem spectare mihi videtur locus quem apud Lysiam legimus in fragm. orat. *περὶ αἰκίας πρὸς Ἰσοκράτην*. fr. LXIV Saupp. Cum enim oratori de sola *αἰκίας* actione disserendum esset, *ὕβρεως* actionis rationem illi simillimam et fortasse cum ea mutatam breviter explicavit. Quodsi huius orationis auctor *βουλεύσεως γραφήν* ab Aristogitone institutam esse confirmat idemque de *γραφῇ ψευδεγγραφῆς* cogitat, tantum abest, ut cum Boekhio scriptorem quendam iuris ignarum utramque actionem confudisse censeamus, ut oratorem cum obiter tantum rem attingeret id ipsum accusandi genus, quo Aristogito contra Aristonem usus erat, attulisse contendamus.

Neque minus certum esse mihi videtur, quod de

ψευδεγγραφῆς causae exitu in oratione traditur § 73. Quamquam enim nullum habemus testimonium quo illud probari possit, tamen similium causarum exitu oratoris verbis fidem facere cogimur. (cf. Boeckh. ***Staatshaush.*** t. I p. 501—510.)

Jam de debitorum capitis deminutione (*ἀτιμία*), de multis ab exactoribus in templo Minervae assignatis (§§ 28. 70) similibusque quae huc spectant institutis non est quod disseram. Quae cum omnibus nota sunt tum certissimis testimoniis confirmantur. Sed fortasse quispiam in inscriptione a thesmothetis facta offendat, quam hac sola oratione traditam legimus § 28. Quos monere velim hoc notandi genus artissime cum re iudiciaria Atheniensium coniunctum fuisse. Nam cum thesmothetae plerisque iudiciis praesiderent, nomina eos et multam eorum qui condemnati erant in commentariis suis inscribere necesse erat. Boeckh. l. l. I p. 510. Quibus inspectis exactores pecunias exegerunt. Nec plane in hac re lex omittenda est, quam Aeschinis orationi in Timarchum insertam habemus § 35 *ἐὰν καταγνωσθῇ αὐτοῦ κρύβδην ψηφιζομένων, ἐγγραψάτωσαν οἱ πρόεδροι τοῖς πράκτορσιν.* Quae quamquam spuria est, tamen ex accurata iuris Attici notitia profecta esse videtur.

Transeo ad alias res haud minus dignas quae accurate pertractentur. Explicatis Aristogitonis sceleribus orator a iudicibus postulat, ut eum secundum leges capitis condemnent aut tanta pecunia multent quantam solvere non possit § 92. Jam ex Dinarchi oratione in Aristogitonem constat (§ 13) reum morte non affectum, sed undecimviris in custodiam traditum esse. Atqui e Demosthenis

oratione in Midiam (§ 182) edocemur iudicibus praeter mortem alias quoque poenas a publicis debitoribus qui in publicum prodirent petere licuisse. His igitur argumentis nixus eos facile refellam, qui alia atque contraria de eadem re prolaturi sint. Qualia quidem iam apud veteres extare non nego. Nam ut alia omittam,*) ipsum Demosthenem audias in orat. in Lept. § 156 ita disserentem: *εἶναι δὲ καὶ ἐνδείξεις καὶ ἀπαγωγάς· ἐὰν δ' ἁλῷ, ἔνοχος ἔστω τῷ νόμῳ ὃς κεῖται, ἐάν τις ὀφείλων ἄρχῃ τῷ δημοσίῳ· θάνατον λέγει. τοῦτο γάρ ἐστ' ἐπ' ἐκείνῳ τὸ ἐπιτίμιον.* Unde plane effici videtur mortem solam in debitores per *ἔνδειξιν* convictos statuendam fuisse. Sed iam Westermannus recte et acute demonstravit, quae vis esset et ratio illius legis. Neque enim ad omnes debitores adversus leges agentes spectat, sed ad eos tantum, qui publico munere funguntur (*ἐὰν ἄρχῃ*).**) Quod cum ab Aristogitone abhorreat, omnia quae orator affert optime quadrant.

Progredimur ad eam partem disputationis, quae nobis longe gravissima esse visa est ad perspiciendam actionem qua haec oratio habebatur. Hanc fuisse *ἔνδειξιν* cum e veterum testimoniis***) tum ex oratione ipsa satis constat. Cum enim Aristogito contra leges in foro iudiciisque versatus esset, nomen eius a Lycurgo ad thesmothetas delatum est, qui causam cognoscerent. Quae cum apud iudices ageretur, ille primas egit partes, quia primus accusator extiterat. Nam quod Libanius aetatem

*) cf. *Att. Proz.* p. 192. 246.

**) acta societ. litter. Lips. vol. I p. 35 sqq.

***) Harpocr. *πολλοὶ μέν εἰσι λόγοι ἐνδείξεως, γνωριμώτατοι δὲ οἱ κατ' Ἀριστογείτονος Δημοσθένους.*

Lycurgi causam fuisse contendit cur primus loqueretur, cum iusta explicatione careat, plane neglego. Post is secutus est, cui priorem ex duabus in Aristogitonem orationibus vindicavimus. Nonnulla praefatus ipse confitetur se a populo in contione electum esse ad Aristogitonem accusandum. Quae verba ita intellegenda sunt, ut orator secundum notum iuris Attici institutum *συνήγορος* i. e. populi in iudicio patronus factus sit. Qua in re primus Westermannus suo iure offendit, quem A. Schaeferus secutus est. „Interdum, ait ille (l. l. p. 68), in rebus gravissimis, praesertim cum quis per *εἰσαγγελίαν* reus factus esset, a populo *συνηγόρους* plerumque decem numero electos esse inter omnes constat. Quis autem putet idem factum esse, cum quis ut Aristogito, quod quamvis infamis tamen verba publice fecisset, per *ἔνδειξιν* accusaretur? Ego non puto nec miror auctorem iuris Attici non admodum peritum tale quid fingere potuisse.“ Quae sententia num probanda sit, nunc videamus. Primum concedendum est omnino nullum aliud extare exemplum patronorum a populo in *ἐνδείξεως* actione constitutorum. Praeterea autem haec ipsa ratio Atticorum moribus legibusque repugnat. Neque enim illi nisi in causis a vulgari modo alienis a populo eligebantur. Quo spectant omnia delicta quae certis legibus non comprehenduntur.*) Quod si tale crimen per *εἰσαγγελίαν* ad senatum populumve delatum erat, populus *συνηγόρους* eligebat eo consilio, ut quasi reipublicae causam apud iudices contra reum defenderent. Quibus quidem hac in

*) cf. Schoemann de comit. Ath. p. 180 sqq. C. F. Hermann in *Abhandl. d. götting. Akad.* Bd. IV p. 77.

causa opus non erat. Neque enim extraordinaria fuit neque deerant certae leges secundum quas de Aristogitone iudicari posset. Sequitur igitur, ut sumamus populum tum a solito iustoque iudicandi more recessisse et duo causarum genera per se diversa confudisse. Jam quaestio oritur, utrum res ita ut orator docet se habere potuerit an confusio illa posterioris scriptoris inscitiae tribuenda sit. E quibus angustiis ut nos expediamus, longius abire necesse est.

Constat inde a bello Peloponnesiaco Atheniensium mores ita effrenatos esse, ut veterum instituta legesque haud raro prorsus neglegerent. *Πολλά*, inquit Isocrates (c. Callim. §§ 9. 10) *παρὰ γνώμην ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἀποβαίνει καὶ ὅτι τύχῃ μᾶλλον ἢ τῷ δικαίῳ κρίνεται τὰ παρ' ὑμῖν.* Cuius immanitatis testimonia sunt iniusta contra sex imperatores lis et supplicium Ergoclis ab ipso populo in contione condemnati. Lys. or. XXVIII et or. XXIX, 2 *Ἐργοκλέους διὰ τοῦτο ὑμεῖς θάνατον κατεχειροτονήσατε κ. τ. λ.* 12. Morbus ubi semel in rempublicam irrepsit, in dies crevit et nova gravioraque mala procreavit. Denique omnia iuris atque officii repagula perfracta sunt et pro legibus et modestia libido et intemperantia valuerunt. Quid mirum quod populus, ubi ira et odium ad libidinem accessit, iustum iudiciorum ordinem et rationem tum quoque interpellarit. Nempe plenus erat odii adversus Aristogitonem: nam et ex his orationibus et ex Dinarchea elucet Atheniensibus illum invisum fuisse scelestissimumque calumniatorem. Neque enim tantum multos de plebe homines, sed etiam viros celeberrimos reipublicaeque magistratus cavillando et accusando insectabatur. Quae cum ita sint, litem in eum eo fere modo institutam esse suspicor, ut cum quondam in contione praeter fas (*οὐκ ἐξὸν αὐτῷ λέγειν*), impudenter verba fecisset et huic vel illi maledixisset, Lycurgus exsisteret eumque per *ἔνδειξιν* se accusaturum esse clamaret. Tum populum assensum suam ipsius causam cum illo communicasse eique ad augendam accusationis vim *εἰσαγγελίας* more patronos elegisse. Quam suspicionem ut argumentis confirmem, exemplum afferam quod optime in hanc rem quadrare arbitror. Notum est cum causa illa in sex imperatores ageretur, solum inter omnes Athenienses Socratem extitisse et contra leges sese acturum negasse. Tum, ut ait Plato, et oratores paratos fuisse ad eum accusandum et populum id iussisse. (Defens. Socr. p. 20 B *ἑτοίμων ὄντων ἐνδεικνῦναί με καὶ ἀπάγειν τῶν ῥητόρων, καὶ ὑμῶν κελευόντων καὶ βοώντων κ. τ. λ.*) Quem populi assensum si cum iis comparamus, quae orator de se patrono per populum constituto tradidit, facere non possumus, quin omnem difficultatem quae viros doctos vexarit sublatam esse statuamus.

Accurata omnino rerum scientia quam in iudiciis oratorem habuisse cognovimus ex tota oratione elucet. Notissimus est locus de Atheniensium numero qui praeclare cum iis quae alii de eadem re tradiderunt consentit. § 51 *εἰσὶν ὁμοῦ δισμύριοι πάντες Ἀθηναῖοι.* cf. Boeckh. *Staatshaush.* t. I p. 51. Quid multa disseram de *μητρῴῳ* (§ 98) eiusque condicione, de *μετοικίῳ* (§ 57),*) de celebrandis *νουμηνίαις* (§ 99) aliisque rebus, quas orator commemoravit? Quae quidem omnia tam certis testimoniis probari possunt, ut omnem dubitationem effugiant.

*) cf. Boeckh. l. l. p. 445 sq.

Adhuc demonstrare studuimus in oratione omnino nihil inesse, quod a vero abhorreat. Nunc contra quaeramus, num quid certi ex ea ipsa eruere possimus. Qua in re vix ullum certius genuinae orationis argumentum inveniatur, quam quod homines in ea citantur, quos tum fuisse alii quoque scriptores testificantur. Jam vero Hegemo et Demades, quos orator ab Aristogitone accusatos fuisse ostendit, oratores intellegendi sunt iidem, qui Demosthenis aetate Macedonum rebus favebant. cf. Dem. de cor. § 285. Tum Philocrates Eleusinius videtur idem esse calumniator, cuius Demosthenes semel mentionem fecit (de cor. § 249), quamquam quidquam certi de hoc statui posse nego. Theoridem Lemniam, si Plutarcho credere licet, Demosthenes ream fecerat. (vit. Dem. c. 14.) Phaedrus denique, quo Lycurgus teste usus erat, haud scio an Atheniensium imperator fuerit: *) quod si ponimus, clarius intellegi posse mihi videntur, quae orator de Aristogitonis conviciis in duces factis protulit § 49. Sed utut res se habet, id certe concedendum est personas ab oratore commemoratas non modo iis quae apud alios leguntur non repugnare, immo vero nostrum de oratione iudicium probare et confirmare. Neque enim iis assentiri possum, qui haec omnia e Lycurgi vel Hyperidis vel aliorum orationibus collata esse suspicantur. Nam ut taceam suspicionem illam orationibus ipsis perditis nullo modo confirmari posse, homines illi

*) cf. titul. apud Rangabé A. H. II n. 401. . . . *καὶ Φαῖδρος ὁ στρατηγὸς ἐ[πήγγει]λεν δεδόχθαι τῷ δήμῳ τὴν μὲ[ν φιλία]ν καὶ τὴν συμμαχίαν ὑπάρχειν [τῷ δήμ]ῳ τῷ Μυτι[ληναί]ων πρὸς τὸν δ[ῆμον τὸ]ν Ἀθηναίων κ. τ. λ.* De eodem viro vid. acta societ. philol. Wirceburg. ed. Urlichs 1862. p. 97. sqq.

tam arte cum Aristogitonis rebus coniuncti sunt tamque apte ab oratore citantur, ut nemo nisi praeiudicata opinione ductus in iis offensurus sit.

Nonnulla denique habeo, quae de Dinarchi adversus Aristogitonem oratione addam. In qua cum multae insint et res et sententiae, quae etiam in oratione quam nos tractamus leguntur, Westermannus aliique putaverunt hinc potissimum rhetorem quem statuunt sua hausisse. Quod quam audacter contenderint, paucis ostendam. Primum si res videmus, quas orator attulit, omnino non miror, quod adeo cum iis congruant, quae Dinarchus enarrat: erant enim apud omnes notae clarissimeque Aristogitonis mores illustrabant. Videas ferocitatem eius in patrem monstratam, quam identidem a testibus affirmatam esse Dinarchus diserte arguit. (§ 8.) Neque magis Lycurgus eam commemorare omiserat, ut ex verbis eius qui illi in dicendo successit dilucide apparet. (§ 54.) Tum compara duas inter se narrationes, quas et hic orator et Dinarchus de Aristogitone vinclis mandato tradiderunt. Cum unus breviter modo grave illius scelus significet, alter plane copioseque de eo disserit atque ita, ut non loquacem et inanem scriptorem, sed oratorem disertum verbisque expeditum audire te putes. Itaque quo saepius utriusque verba perlego, eo firmius mihi persuadeo oratorem ipsum narrationis auctorem fuisse. Atque eadem fere ratio ceterarum rerum est, quae similes apud utrumque oratorem occurrunt. Nam quod de Aristogitonis capitis deminutione deque eo magistratu repulso inter se congruunt, hae ipsae res mihi tanti ponderis esse videntur, ut neminem ea Aristogitonis improbitatis manifesta argumenta neglecturum

fuisse contendam. Munerum denique commemoratio a reo civitati non praestitorum oratoribus Atticis tam usitata fuit, ut causam non videam, cur e Dinarchi oratione surreptam eam esse arbitremur.*) Quae cum ita sint, haud minus caute de eo iudicandum nobis erit quod ipsas sententias e Dinarcho sumptas viri docti putaverunt. Qua in re semper miratus sum, quantam auctoritatem Westermannus Dinarcho tribuere studuerit, scilicet ille ipse vir, qui „id esse Dinarchi proprium censet, quod nihil proprii habeat, sed totus sit in aliis, inprimis Demosthene, Hyperide, Aeschine imitandis.“**) Quae si quis legit, facile in suspicionem incidat Dinarchum etiam hac oratione in sua ipsius conscribenda usum fuisse. Sed haec missa faciamus et sententias ipsas quae ex Westermanni opinione utrique orationi communes sunt, accuratius inspiciamus. Quarum primum exiguum numerum miraberis: nam summa cura adhibita ille haud plures quam tres locos dignos qui compararentur investigare potuit. Tum autem ita comparati sunt, ut bis duabus huius orationis sententiis diversis temere coniucttis opus fuerit ad efficiendam unius Dinarcheae similitudinem. ***) Tertio denique loco similitudo quae sit equidem non video.

---

*) cf. Lyc. in Leocr. § 139 sq. Dem. in Mid. § 154 sqq. Din. in Dem. § 81 sq. etc.

**) Neque aliter veteres homines criticos de Dinarcho iudicasse e Dionysio Halicarnassensi apparet. Is enim „μήτε, inquit, εὑρετὴν ἰδίου γεγονέναι χαρακτῆρος τὸν ἄνδρα — μήτε τῶν εὑρημένων ἑτέροις τελειωτήν. περ. Δειναρχ. c. I p. 629. Adde c. V p. 639 sq. c. VI pag. 642.

***) or. I in Ar. §§ 7 et 10 coll. c. Din. § 4; or. I §§ 6 et 98 coll. c. Din. § 19.

or. I in Ar. § 93. τῶν μὲν ἄλλων ἀνθρώπων ἄν τις ἴδοι τοὺς μὲν βελτίστους καὶ μετριωτάτους αὐτῇ τῇ φύσει πάντα ποιοῦντας ἕκοντας ἃ δεῖ, τοὺς δὲ χείρους μὲν τούτων, ἔξω δὲ τοῦ πονηροὺς ἄγαν κληθῆναι, τῷ φόβῳ τῷ πρὸς ὑμᾶς καὶ τῷ τοῖς αἰσχροῖς καὶ λόγοις καὶ ὀνείδεσιν ἀλγεῖν εὐλαβουμένους ἐξαμαρτάνειν· τοὺς δὲ πονηροτάτους καὶ ἐξαγίστους ὀνομαζομένους τὰς συμφορὰς σωφρονίζειν λέγουσιν.	Din. in Ar. § 3. πονηρίαν γὰρ ἀρχομένην μὲν κωλῦσαι τάχ' ἄν τις κολάζων δυνηθείη, ἐγκαταγεγηρακυῖαν δὲ καὶ γεγευμένην τῶν εἰθισμένων τιμωριῶν ἀδύνατον εἶναι λέγουσιν.

Jam satis plane demonstrasse mihi videor, in quos errores viri docti cum de orationis fide et auctoritate dubitarent inciderent. Quod si concedes, Dinarchi oratione ita potius uteris, ut inde argumenta sumas, quibus haec ipsa oratio genuina esse probetur.

Atque haec quidem hactenus. Habes ea quae mihi digna visa sunt quae de priore oratione proferrem. Demonstrare enim studebam neque sermonem neque res ab ea aetate qua Lycurgus Aristogitoni litem intendit abhorrere. Unde mea quidem sententia sequitur orationem in illa ipsa causa a patrono quodam habitam esse. De quo homine quamvis nihil certi statui possit, tamen id quod ex oratione eruere licet disputationi meae addam.

In enumerandis Aristogitonis sceleribus ea quoque ab oratore commemorantur, quae ille in se ipsum commiserit. „ἑπτά, inquit, γραφὰς κέκρικάς με, τοῖς ὑπὲρ Φιλίππου τότε

πράττουσι σαυτὸν μισθώσας καὶ εὐθύνας διδόντος δὶς κατηγόρησας. — καὶ ἔχω τοῖς θεοῖς καὶ πᾶσιν ὑμῖν τοῖς σώσασί με πολλὴν χάριν § 37. Ex quo apparet oratorem et publicis muneribus functum et adversarium fuisse Philippi regis Quod cum optime in Demosthenem quadraret, fuerunt qui hoc ipso loco perducti illum orationis auctorem fingerent. Accedit quod Demosthenes ipse confirmat sese post pugnam Chaeronensem ab adversariis crebris criminibus delationibusque vexatum esse. cf. Dem. de cor. §§ 249. 250. Tamen hoc argumentum non adeo grave est, ut de sententia quam antea tuiti sumus nos deducere possit. Nam ut omittam Demosthenem, cum gravissimos accusatores Sosiclem, Philocratem, Diondam, Melantam illo loco nominatim afferret, omnium scelestissimum Aristogitonem prorsus omisisse, iam satis constat, quot qualesque alios viros ille accusando insectatus sit. In quibus primum tenet locum Hyperides orator, qui propter notissimum illud decretum post cladem Chaeronensem factum ab Aristogitone legum violatarum accusatus est.*) Qui quidem num orationem scripserit, quemadmodum Cobetus suspicatus est, diiudicare non audeo: quamquam non nego nonnulla in ea inesse, quae cum Hyperidis indole aperte consentiant. Jam supra dixi raris inusitatisque verbis illum delectatum fuisse, quod quidem orationis proprium esse demonstravimus. Tum compares totam orationis rationem et naturam cum iis, quae ab Hermogene iudice satis acuto in Hyperide laudantur: μέγεθος δὲ αὐτῷ ἐστιν ὑπέρογκον, σκληρὸν δὲ τοῦτο καὶ οὐ κεκρα-

*) cf. Suid. s. v. Ἀριστογείτων 2.

μενον. III p. 382 Walz. Denique mirum sententiarum consensum animadvertas, quem inter utrumque oratorem invenimus. Nam quod unus contendit τοὺς χείρους τῷ φόβῳ τῷ πρὸς ὑμᾶς καὶ τῷ τοῖς αἰσχροῖς καὶ λόγοις καὶ ὀνείδεσιν ἀλγεῖν εὐλαβουμένους ἐξαμαρτάνειν (or. in Ar. I § 93), id ab altero his verbis dictum est: διὰ δύο προφάσεις τῶν ἀδικημάτων ἄνθρωποι ἀπέχονται ἢ διὰ φόβον ἢ διὰ αἰσχύνην· Saupp. frgm. Hyp. 241. Sed haec omnia levia sunt et fere nihil probant: singula autem quaerere cum a proposito meo abhorreat, in praesens praetermitto. Ceterum quisquis fuit orationis auctor, id persuasissimum mihi est splendidis Graecae eloquentiae monumentis eam esse adnumerandam.

Priore huius disputationis parte demonstrare studui Aristogitonis causam ita institutam esse, ut populus Lycurgo, cum illum accusaret, oratorem tamquam publicae causae patronum addiderit. Cum vero constet patronorum numerum interdum permagnum fuisse,*) nihil impedit, quominus etiam in hac re plures extitisse ponamus. Immo prioris orationis auctor id plane indicasse mihi videtur. Quonam enim alio modo verba eius intellegamus: ὅσων ἄλλων κατηγόρηκε παρ᾽ ὑμῖν, εἶδεν ἀδικοῦντας τὴν πόλιν, ἐμὲ δ᾽ οὐχ ἑώρα τὸν ῥήτορα, ᾧ ἐπολέμει, οὐδὲ τὸν Λυκοῦργον, οὐδὲ τοὺς ἄλλους, περὶ ὧν αὐτίκα δὴ τὰ πολλὰ ἐρεῖ (§ 38), nisi ut τοὺς ἄλλους alios fuisse patronos statuamus? Adde ea quae sequuntur: ἡμᾶς μὲν ἠφίει, ἐπὶ δὲ τοὺς ἰδιώτας ἐπορεύετο. Nonne his verbis

*) cf. Din. in Arist. § 6. Westermann act. soc. litter. Lips. t. I p. 45 sq.

Lycurgus ceterique oratores vel patroni aperte privatis hominibus opponuntur?

Dicendi genus cum diligenter examinarem, nihil investigare potui, quod a puro sermone Attico alienum esset. Et singulae voces et compositio earum auctori cum plurimis Atticis scriptoribus communes sunt. Sed si universam orationis indolem intuemur, negare non possumus multum eam a solita orationum iudicialium ratione recedere. Neque enim narrat orator neque argumentatur: ieiunus est atque frigidus, in peroratione sola ad quandam vim assurgere mihi videtur. At causam si quis quaeret, in eo facile inveniet, quod ab oratoribut prioribus omnia iam accuratissime exposita erant.*) Jam dixi prioris orationis auctorem identidem queri quod Lycurgus nihil fere sibi reliquerit, quod proferret: quid igitur mirandum, quod is qui tertias agebat partes, multo magis quam ille vi et copia careat? Compara quaeso cum hac oratione duas Lysiae quas in eadem Alcibiadis causa habitas esse novimus. Quarum altera eaque tritologia quae dicitur nonne eandem brevitatem, eandem gravium argumentorum inopiam prae se fert atque haec ipsa oratio?

Jam vero ad res accedamus quae in oratione proferuntur. In quibus quamvis insint quae multum difficultatis habere videantur, tamen ea nos sublaturos esse speramus. Primum igitur illud respiciendum est, quod orator prioris orationis auctore omnino neglecto Lycurgi tantum mentionem fecit oratoris. Sed cum Lycurgus

*) cf. ea quae Wolfius de hac re docuit in prolegg. ad Lept. XLVIII.

actionis auctor fuisset inprimisque ea quae ad *ἔνδειξιν* spectabant exposuisset, consentaneum esse mihi videtur omnes qui secuti sunt oratores, ad illum ipsum provocasse. Accedit quod etiam Dinarchus Lycurgum solum Aristogitonis accusatorem nominat (orat. in Aristog. § 13).

Deinde non est cur in eo offendamus, quod de Aristogitone prioribus criminibus absoluto apud oratorem legimus § 20. Nam etiamsi orator qui antea disseruit his contraria narret (or. I § 67), id certe non tanti momenti est, ut oratio ideo spuria habenda sit. Quis enim disceptet uter verum tradiderit? Annon prioris verba causidicorum more ita dicta esse possunt, ut verum quidem et iustum neglegatur, vis contra et gravitas argumenti augeatur? Neque vero omittere possum, quod legimus „*Μιλτιάδην καὶ Περικλέα ὀφείλοντας τὸν μὲν τριάκοντα, τὸν δὲ πεντήκοντα τάλαντα ἐκτίσαντας οὕτω δημηγορεῖν* (§ 6). Quae verba quod ad Miltiadem spectat, plane a vero abhorrere videntur. Constat enim ex Herodoto aliisque scriptoribus (cf. Herod. VI, 136. Plut. Cim. 4. Nep. Cim. 1) Miltiade in vinclis mortuo Cimonem pecuniam, qua pater multatus erat, solvisse. Quid autem impedit, quominus cum Boeckhio (*Staatsh.* t. I p. 505 sq.) paeter hanc aliam fingamus multam iam prius a Miltiade solutam? Ac ne hac quidem coniectura opus est. Constat enim persaepe oratores sive casu sive consilio res perturbasse falsasque eas et ineptas tradidisse. Ut perspicuo exemplo utar, videas orationis Andocidiae de pace § 3 sq. et Aeschinis de falsa legatione § 172—176. In quibus quamvis Cimo et Miltiades viri tam illustres omnibusque noti

prorsus inter se commutati sint, tamen nemo tam audax erit, ut illius erroris causa orationes spurias iudicaturus sit.

Haec fere sunt, quae viris doctis dubitationem attulerint. Cetera quae in oratione leguntur, sive ad iudicia et leges spectant sive ad res ab Aristogitone gestas, aliorum scriptorum testimoniis confirmantur. Ut exemplum afferam, animadvertas Hyperidis decretum post cladem apud Chaeroneam factum litemque quam Aristogito ei intenderat. Haec illo ipso tempore, quo Lycurgus Aristogitonem reum fecerat, tam recenti memoria ab omnibus tenebantur, ut, cum apud iudices proferrentur, vehementer eos commoverent necesse esset.

Sed iam finem facio dicendi: satis enim probasse mihi videor nihil prohibere quominus hanc quoque orationem alicui Lycurgi aequali tribuamus. Quis ille fuerit, alii videant: equidem satis habeo antiquitatis monumentum quamvis mediocre et exiguum ab indignissima invidia servasse.

Vita.

Reinholdus Braun natus sum anno h. s. XLIX patre Ernesto, matre Amalia e gente Latzel, quos adhuc superstites esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primordiis litterarum imbutus per duos annos gymnasium patriae frequentavi. Postea patre iterum iterumque alium in locum evocato gymnasium Boleslaviense, tum Gorlicense adii, quod tunc florebat rectore v. ill. Schuettio. Hinc tempore paschali a. LXIX Lipsiam me contuli studiis philologicis operam daturus. Interfui per tria semestria scholis vv. ill. Ritschelii, Curtii, Zarnckii, Brockhausii, Drobischii. Lipsii, Roscheri, Voigtii, Hildebrandi. Anno post Berolinensis universitatis civibus adscriptus per tria semestria studia ibi persecutus sum vv. ill. Hauptio, Kirchhoffio, Mommseno, Huebnero, Droyseno, Curtio, Kieperto, Harmsio praeceptoribus exercitationibusque societatis theodiscae Muellenhoffio duce florentis interfui. Studia ut conficerem Gryphiswaldiam petii, ubi vv. ill. Georgium, Kiesslingium, Schoellium, Hirschium, Hoeferum disserentes audivi. Seminarii regii philologici per hoc tempus sodalis eram atque etiam exercitationibus historicis et geographicis ab Hirschio, philosophicis a Georgio institutis operam dedi. Omnibns his viris optime de me meritis gratias ago quam maximas.

Sententiae controversae.

I.

In Andocid. orat. de myster. § 74 verba: *τούτους ἔδει καὶ αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐκ τούτων ἀτίμους εἶναι* in initio eiusdem paragraphi collocanda esse censeo.

II.

Euripid. Hippolyt. v. 916 legendum puto:

ὦ π ο λ λ ὰ μ α ν θ ά ν ο ν τ ε ς ἄνθρωποι μάτην.

III.

Hesiod. oper. et dier. v. 182—189 sic restitui velim:

Οὐδὲ πατὴρ παίδεσσιν ὁμοίιος οὐδὲ κὲν οἵ γε
Γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀπὸ θρεπτήρια δοῖεν,
Οὐδὲ κασίγνητος φίλος ἔσσεται, ὡς τὸ πάρος περ,
Οὐδὲ ξεῖνος ξεινοδόκῳ καὶ ἑταῖρος ἑταίρῳ,
Χειροδίκαι· ἕτερος δ' ἑτέρου πόλιν ἐξαλαπάξει.

IV.

III^am^ pers. plur. ind. perf. act. apud Sallustium semper in — ē r e exiisse contendo.

V.

Tac. annal. IV, 34 cum Spengelio legendum est:

. . . Cremutius Cordus postulatur novo ac tunc primum audito crimine, editis annalibus laudatoque M. Bruto, q u o d C. Cassium Romanorum ultimum dixisset.

VI.

Thucyd. I, 126 et Herod. V, 71 adeo inter se consentiunt, ut vix dubitari possit, quin Thucydides ex Herodoto hauserit.

VII.

Arte epigraphica antiquitatis studiosi carere non possunt.